



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.


M. 29 Q


M. 29  
27













1. Titij s. Calixti de Controuersis circa S. Eucharistiam.
2. Calixti Responsores ad Calouij theses antihypocretisicas.
3. Titij de altera quorundam hominum electione, cet.
4. Calixti quod Consensus repetitus fidei vere Lutheranae  
Calouij Consensus censeri non mereat.
5. Hilibrandi de Nuptiis veterum Christianorum.

Rationes ob quas Archiepisc. Mechlini a promulgatione  
Nullae, qua prohibetur consensu Augustinus, abstinuit.

6. Hilibrandi Rituale Oranburgi.

7. — de Precibus vet. Christianorum.

— Primitiua Ecclesiae Offeritorium pro defunctis.

— de lacrimis Christi.

— Enchiridion de primitiua Ecclesiae sacris publicis.



SACRARVM ANTIQVITATVM  
DE  
PRECIBVS  
VETERVM CHRI-  
STIANORVM

*LIBELLVS,*  
in quo  
VETERVM ORATORIA  
ET  
STATI ORANDI TEMPORA

percenſet  
IOACHIMVS HILDEBRANDVS  
S. Theol. D. & in Acad. Iulia Ordin.  
Profefſ.



HELMESTADI,  
Cura HENNINGI MULLERI, Acad. typ.

MDCCCLV.

171

SACRARVM ANTIQVITATVM  
 SERVANDIS FELICISSIMVS  
 BRUCEI AC ROMANVS  
 BRUCEI AC ROMANVS  
 V. E. A. R. V. S. C. H. O. I.  
 D. V. C. T. P. R. A. S. V. I. C. E. N. S. I. E. T. L. V.  
 N. U. M. B. E. R. I. S. I.  
 in quo  
 DOMINO MEO CLEMEN-  
 TISSIMO  
 V. E. T. E. R. M. O. R. A. T. O. R. I. A.  
 S. A. L. V. T. E. M. E. T. F. E. L. I. C. I. T. A. T. E. M.  
 S. T. A. T. A. O. R. A. M. B. I. N. I. M. P. O. R. A.  
 V. N. D. E. S. V. E. T. E. R. I. M. S. E.  
 I. O. A. C. H. I. M. V. S. I. S. I. D. I. P. R. A. T. I. O. N. I. S. E.  
 S. T. H. O. P. I. S. I. N. A. C. T. I. S. P. R. I. M. I. S. I. S.  
 S. I. M. E. E. V. A. N. G. E. L. O. O. M. N. I. A.  
 P. R. O. F. E. T. I. A.  
 optime illa oratio animadu-  
 erat. Qui omnipotens Deo. Patri uni-  
 versorum per Iulium maxime di-  
 lectum. Salvatorem nostrum pre-  
 ces suas precor. quis hunc  
 CURS HENRIGI MULLER. Acad. Sci.  
 Deus





SERENISSIMO CELSISSIMOQUE  
PRINCIPI AC DOMINO

DN. RVDOLPHO  
AUGUSTO

DUCI BRUNSVICENSI ET LV-  
NEBURGENSI

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

SALVTEM ET FELICITATEM  
PERPETVAM.

**D**Vm Preces Veterum, SE-  
RENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTIS-  
SIME, evolvere, omnium  
optimè illos orasse animadverto,  
qui Omnipotenti Deo, Patri uni-  
versorum per Filium maximè di-  
lectum, Salvatorem nostrum pre-  
ces suas obtulerunt, quia hunc  
Deus

Deus *Propitiatorium* nobis constituit  
i Ioh. ii, 2. Filius ipse talem orandi  
methodum præscripsit: Quicquid  
petieritis Patrem in nomine meo,  
dabit vobis. Ioh. xvi, 23. Ex antiquis  
unum Cyrillum Alexandrinum  
audiamus: Orandum est, inquit  
ille, in nomine FILII, si exaudiri à  
PATRE volumus Lib. ii. in Iohan.  
Ego verò ut divina humanis con-  
nectam, rectè memini, Vos, quos  
in supremo rerum fastigio OPT.  
MAX. constituit, in Sacris usitatè  
DEOS vocari juxta illud Ps. LXXXII, 6.  
DIXI VOS DEOS ET OMNES FILIOS  
ALTISSIMI, ideoque similem orandi  
modum nunc instituo, dum TVÆ  
CELSIT. has meas Preces cum sub-  
jectis-

jectissimo cultu offero & per TE,  
Gratiosissime Princeps, SERENIS-  
SIMO TVO PARENTI, PATRI PA-  
TRIÆ, inexhaustæ Eruditionis PRIN-  
CIPi, cujus vivam in TE imaginem  
veneror, supplicem me sisto. Hu-  
milimè obsecro, ut TVA CELSIT,  
temeritati meæ, qua sub Augustis-  
simo Tuo Nomine, veluti sub Nu-  
mine Tutelari in apricum prodeo,  
clementer ignoscat & serena fron-  
te ad supplicem hunc meum, de  
Precibus Veterum libellum respi-  
ciat. Ita fore confido, ut SERENIS-  
SIMVM PATREM per ILLUSTRISSIMVM  
FILIVM conciliem & ambarum.  
VV. CELSITVDINVM DIVA CLE-  
MENTIA ( quæ voti mei summa  
est )

est ) mihi meisque constet. Re-  
gem Regum ex intimis animi re-  
cessibus adoro , ut A V G V-  
STAM DOMVM VESTRAM  
potenti sua dextera seruet , tuea-  
tur , sospitet & tantis Principibus  
digna Prosperitatem mactet. In pri-  
mis TVÆ CELSIT. de recens nata  
Illustrissima PROLE piè gratulor.  
Vivat ILLA ! Valeat ! & immortal  
Gloriæ SERENISSIMORVM PAREN-  
TVM feliciter succrescat ! Ita preca-  
bar in Acad. Iulia , Helmst. postrid.  
Eid. Sept. A. C. MDCCLV.

SERENISSIMÆ TVÆ CELSIT.

*Subiectissimus*

IOACH. HILDEBRANDVS D.





# STVDIOSIS SS. ANTIQVITATVM,

Amicis meis Charissimis

S. P.

**V**od semel atque iterum petiistis, Præstantis-  
simi Iuvenes, Compendium SS. Antiquitatum  
vestro potius impulsu, qui indefessam operam  
huic studio impenditis, quam meo arbitrio in-  
ductus aggredior. Et in initio quidem **PRE-**  
**CES VETERVM** exhibeo, materiam Præcticam, Mora-  
lem & ut puto, dignam scitu, jucundam lectu, necessariam  
nostro seculo, pulcherrimis Ritibus investitam, utilem pro  
concione & alias, nullo non **LOCO**, nullo non **TEMPO-**  
**RE** priscis Fidelibus, ut ex qualicumque hoc libello videbi-  
tis, exercitam & adhuc quovis **LOCO** & **TEMPORE**  
exercendam. Proximè **RITVS** orandi in Vet. Eccl.  
receptos, & tandem **DOCTRINAM** Veterum de Pre-  
cibus una cum Invocatione Sanctorum & Precibus pro De-  
functis peculiari libello, si Deus voluerit, subnectam. **DEI**  
unius Gloria & commodo vestro velificor. Si ex voto iuva-  
re omnes nequeam, contentus ero, cum vel ad Tyrones SS. An-  
tiquitatum aliquis fructus ex his Collectaneis redundaverit  
Valete memores, quam sit res ardua vetustis novitatem dare,  
& donec meliora sequantur, has pagellas æqui consulite.

LOCA



LOCA PRE-                      TEMPORA PRE-  
CVM.    CVM.

In Tabernaculo Fæderis.	Modus SEMPER ORANDI.
In Templo Hierosolym.	Messalianorum vel Euchetarum
Loca precum libera.	Hæresis.
Preces in clauso cubiculo.	Historia de Accœmetis.
Preces in Templis Idolorum.	STATATA PRECVM TEMPORA
Preces Domesticæ.	Preces Matutinæ & Vespert.
Preces in Tectis.	Preces ad Mensam.
Preces in Carceribus.	Preces in Adversis.
Preces in loco Suppliciorum.	Preces tempore Belli.
Preces ad Littora.	Preces in Hora mortis.
Preces in Cryptis.	Precum varia tempora.
Preces in Eremitis.	Dies Rogationum.
Preces in Claustris.	Preces in diebus jejuniorum.
Preces ἐπι τοῖς σὺλοῖς.	Preces in diebus Dominicis.
Preces in Cœmeterijs.	Preces tempore Concionum.
Preces ad Tumulos Sanctorum.	Preces tempore SS. Eucharistiæ.
Preces coram Reliquijs.	Preces NOCTV habitæ.
Preces juxta SS. Imagines.	Preces Lucernariæ.
Precibus Templâ dicata.	Preces in Vigilijs.
Preces in Martyrijs.	Precum Horæ Tres.
Preces in Templis.	Precum Horæ Quinque
Preces ad Altaria.	Horæ Canonice Septem.
Causæ orandi in Templis.	Horæ Canonice variant.
Preces in Sacellis.	Causa statuendi horas Canon.
Preces ad Loca Sancta v.g.	Horæ Canonice Clericorum.
ad Sepulcrum Domini,	Horæ Canonice abrogatæ.
ad Limina Apostolorum.	Preces ad pulsam Campanæ.
&c.	

*Hæc sunt nostri contenta Libelli.*





DE

PRECIBVS VETERVM  
CHRISTIANORVM.

**V**eterum Preces explicaturi congruum  
à prece exordium sumimus Deumq;  
Opt. Max. supplices veneramur, ut  
Spiritu suo sancto, *Spiritu illo Precum*, nobis  
adesse & pium propositum nostrum in No-  
minis sui Gloriam & in Ecclesiæ rei que lite-  
rariæ emolumentum dirigere clementer di-  
gnetur, propter merita Vnigeniti, Salvato-  
ris nostri. Fiat!

CAP. PRIMVM,

exhibens

LOCA PRECVM.

**A**ntequam Christianorum à Nato Chri-  
sto Preces, earumque loca ostendam, digi-  
to quasi & verbo subindicare iuvât, quibus  
in locis ante natum Redemptorem Adorati-  
onis cultus peractus sit. Primis quidem  
usque ad datam Rituum Legem mortalibus  
TOTVS terrarum ORBIS, veluti commune *in the* exti-  
tit, Pro.  
A

tit, Protoparentibus in specie *Paradisus*, è quo post Lapsum ejecti sub *Quercubus* alijsq; ramosis vel frondosis arboribus in ædium defectu consedisse & privatas ibidem preces egisse videntur. Preces autem solennes ad *Altaria*, in quibus sacrificia obtulerunt, habuisse vero sit simile. Sub Enos, Adami nepote captum est invocari nomen Domini, dicitur Gen. iv. 26. h. e. ut vulgò exponunt, fuisse quidem ab origine mundi preces ad Deum habitas, sed sub Enos verum Dei cultum, Caini ejusque compliceum malitia corruptum, pristino vigori redditum, condito alicubi fortassis *Altari*, juxta quod Filij Dei à filijs hominum h. e. ab Ecclesia malignantium jam divisi ad sacrificia & ad communes preces commearunt. Sanè Alteria subdito, sub arboreto, juxta domos condita, victimis & *precibus* Deo offerendis dicata, ex historia Noæ ab Arca egressi Gen. ix, 20. & ex historia Abrahæ constat, Gen. xii, 8. ubi altaris tentorio adjuncti & Numini in vocando sacri mentio fit. Gen. xiii, 18. ubi in *quercubus Mamre*, quæ sunt in Hebron, *altare* cultui divino structum fertur, qui locus diu post natum Christum, quarto adhuc seculo, sub Constantino M. ab Ethnicis, Judæis & Christianis *precum causa* adiri solitus est. Omnes, scribit Sozomenus l. ii. hist. Eccl. c. iiii. hunc locum (quercum Mamre) prout singulorum poscit religio, colunt, quippe pars in eo *pretes* Deo omnium moderatori fundunt, pars ibi angelos invocant, libant vinum, thus denique aut bovem aut hircum aut ovem aut gallum sacrificant — Omnes locum augustè venerantur, quò calamitates, quæ Dei ira inferri solent, effugiant, neque rem habent illie cum uxoribus. Cætera apud Sozomenum d. l. vide. Nam eleganter ritus Deum colendi sub hac Abrahæ quercu eorumq; Reformationem auspicijs Constantini M. sua

suasu Helenæ, quæ *orandi gratia* eundem locum accesserat, ab Episcopis Palæstinæ susceptam percenset. Gen. xxi, 33. planta vit Abraham *Lucum* apud Bersabe & invocavit ibi nomen Domini, unde *Lucorum* religio ad paganos quoque transit. In Mesopotamia *juxta fontem*, è quo potari reges solebant, pro felici matrimonio Isaaci Deum Abrahamæ servus adorat. Gen. xxiv, 11. Iacob Patriarcha, quum prope Urbem Lus *Scalam cali* dormiens conspexerat, locum istum in *Bethel* h. in *Oratorium* convertit, saxeo pulvini, cui in-dormierat, in aram uncto, dicens: Quam metuendus est locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cali. Gen. xxxix. De altari ob preces fundendas erecto expressus est textus Gen. xxxiii, 20. Statuit Iacob *altare & invocavit super illud* nomen Domini. Ita ergo prima mundi ætate *Loca Precum* una cum ipsis Patriarchis *ambulatoria* erant, nec à Deo usquam determinata. Ordinariè autem ijs in locis, in quibus Deus se peculiariter revelaverat, conditis ibidem *altaribus* orasse videntur.

II.

S**V**b Mose uti integer Sacrorum ordo ad certos ritus à Deo redactus est: ita locus tractandis Sacris constitutus est Tentorium Sacrum, *Tubernaculum Fæderis* q. d. *die stiftes Kirche im Volck Israel / אוהל מועד* cui omnis in universam publicus Dei cultus adeoque *Adorationis* vel *Precum* quoque cultus, Deo ita volente & ibidem singulariter presente, preces exaudiente & responsa dante adstrictus est. Exempla Precum in Tabernacula fusarum habes Ios. vii, 6. ubi ob Achanis furtum casti Israelitæ, Iosua & Seniores populi laceris vestibus & sparsis super capita cineribus ad vesperam usque coram ARCA Fœderis Deo supplicant. Sed Arca sub sacro illo tentorio erat sita. Sic & Iud. xx 1, 2. po-



pulus DOMVM DOMINI (hæc præter Tabernaculum alia tum non erat) ingressus moras ibidem in Dei conspectu necit, vocesque supplices attollit & lacrymas ubertim fundit. Parentum Samuelis mos statò tempore abeundi ad Civitatem Silo, quæ satis diu à tempore Josuæ c. xix, 1. Tabernaculo federis hospitium præbuit ibique adorandi Deum, commendatur 1 Sam. 1, 3. Rex David impleto luctu DOMVM DOMINI subintrat, ut Deum deprecetur. 11 Sam. xii, 20. Sic & de Tabernaculo federis exponi Davidicum illud oportet: Ego in multitudine misericordiæ tuæ Domum tuam introibo, *adorabo ad Templum sanctitatis tuæ* Ps. v, 8. In quod dictum Varapulus: Adorabo, inquit, versus Templum Sanctitatis tuæ h. Oculis in Tabernaculum defixis. Solus Pontifex *Sanctum Sanctorum* ingredi solebat, ut ibi oraret, reliqui verò omnes versus Templum h. fixis oculis in tabernaculum orabant, quod & David ab exilio redux se facturum recipit. Rex Salomo Sapientiam à Deo petiturus *Gibeonem* abit & in excelso maximo una cum pluribus hecatombis preces mactat, cum cæteri more gentilium in alijs excelsis immolarent 1 Reg. iii, 4. Notanter dicitur, *Gibeone* orasse: nam Tabernaculum de Siloh in Gibeon erat translatum, ut legere est 1 Sam. vii, 1. & Ps. lxxix, 60. Deferuit Tabernaculum Siloh, Tentorium, ubi inter homines Deus agebat h. e. ob peccata populi permisit Deus Arcam, cui cultus veri Dei sub tentorio erat connexus, de Siloh à Palæstinis abduci, quæ postea Gibeonem delata est. Vnde discimus, in V. T. preces publicas Tabernaculo alligatas, sed prout Tabernaculum variè loco motum est, sic & orandi locum variasse, Deumque modo in Siloh, modo in Gibeon, nunc in monte Sion, nunc alibi, ubi arca tentorium erat, adoratum fuisse.



## III.

**F**ixus postea Locus Precum erat **TEMPLVM** Hierosoly-  
mitanum, quod vel ex Dedicacione Templi pater. Ita  
enim Rex Salomo, admirandæ illius structuræ fundator  
munificentissimus coram supremo altari manibus in cæ-  
lum expansis, populo Israelis universo stipatus orat: Respi-  
ce ad Orationem servij tui & ad deprecationem ejus, **Do-**  
**mine**, audi preces, quas hodie coram Te servus tuus orat,  
Sint oculi tui noctu & interdiu super hanc Domum inten-  
ti, de qua dixisti: Nomen meum ibi erit. Exaudi oratio-  
nem, quam in hoc loco servus tuus oraverit. Exaudi de-  
precationem populi tui Israel, quodcunque in isto loco o-  
raverint. — Si fugerit populus tuus inimicos suos, quod  
peccaverit tibi & reversi fuerint & confessi nomen tuum &  
oraverint in hac domo, Tu è cælo exaudi & populi tui pec-  
catum dimitte — Si clausum fuerit cælum & non pluerit, si  
fames oborta in terra fuerit, aut pestis aut corruptus aer,  
aut ærugo aut locusta vel rubigo & afflixerit eum inimicus  
portas ejus obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, quæ-  
cunque oratio vel deprecatio suscepta à quocunque fuerit,  
cum cognoscet quisque plagam cordis sui & expanderet  
manus suas in hac domo, Tu de cælo exaudias &c. De ali-  
enigenis etiam, qui non sunt de populo tuo Israel, qui de  
terra longinqua propter nomen tuum venerint, — & ora-  
verint in hac domo, Tu exaudias de cælo, de loco habita-  
tionis tuæ faciasque ea omnia, de quibus alienigenæ Tibi  
supplicaverint. 1 Reg. iix, 28. Tota illa Dedicatoria Salo-  
monis Templum Precibus devover, perinde ac si propter  
solas preces Templum sit conditum. Atque hinc est, quòd  
in Sacris literis Templum à Precibus, tanquam potiori par-  
te Sacrorum denominetur **DOMVS PRECVM**. Es. lvi, 7.



6      *PRECES IN TEMPLO HIEROSOL.*

Matth. xxi. 13. Fuit in V. T. hic orandi locus adeo sacer, ut  
 Judæi in captivitatem Babylonicam abducti *vultibus versus*  
*Hierosolymam directus* oraverint, suum orandi in Templo  
 desiderium eo ritu contestati. Exemplum habes Danie-  
 lis, qui quotidie domum suam ingressus fenestris apertis  
 in canaculo suo *versus Ierusalem* positis genibus ter orabat  
 Dan. vi. 10. In N. T. Phariseus & Publicanus *orandi causa in*  
*Templum* abiisse per Parabolam commemorantur Luc. xix,  
 10. Dum Zacharias Sacerdos Templum ingreditur, ut thus  
 incendat, tota populi multitudo extra sanctuarium in atrio  
 laicorum precibus immoratur. Luc. 1, 10. Commendatur  
 Simeon & Hanna, ille, quod ductu Spiritus S. *in Templum*  
 venerit ad præsentationem pueri Iesu ibique *in Ierusalem* cy-  
 gnéo cantico petierit; hæc quod nunquam à *Templo* recess-  
 ferit, sed dies noctesque jejunijs & precibus insisterit. Luc.  
 ii, 27. & 37. Eundem orandi locum una cum cæteris qui-  
 busdam è Synagoga traductis ritibus primi fideles Hieroso-  
 lymis usque ad Templi & Urbis excidium retinuerunt. Ita  
 legimus horo nona, qua ludæi Sacrificia vespertina simul  
 ac preces offerre solebant, *in Templum* una cum ludæis  
 orare volentibus ascendisse Apostolos Petrum & Iohan-  
 nem & in porta Templi *Speciosa* claudum ab utero sanasse.  
 Sic & Paulus pro concione recenser, se à conversione sua  
 Hierosolymam *in Templum* reversum *ibique orasse* & inter  
 preces extra se raptum. Act. xxii, 17. Laudantur Proto-chri-  
 stiani, quorum præcipuum erat orandi studium, quod *af-*  
*siduis fuerint in Templo* Act. ii. 46. In *porticu Salomonis*, quæ e-  
 rat Templo contigua, vel si mavis, pars Templi, sacra pu-  
 blica peragunt Apostoli. Act. v, 12 & 42. Neque verò præ-  
 tereundus nobis est Eunuchus Reginæ Candaces, qui cum  
 esset Profelytus portæ h. relictiis idolis verum Deum cole-  
 ret,

ret, licet nec circumcisis nec legi mosaicæ obligatus esset, ex Æthiopia usque Hierosolymam profectus *in Templo Dēum adorabat.* Act. xxii, 17. Memineris tamen Templum precibus præsertim *solemnibus & publicis* dicatum. Nam privatim domi suæ vel ubicunque fors tulisse, preces fundere cuius licuit. Sic in ipso *ventre ceti* Ionas orabat. David in *lecto*, Ps. vii, 7. in *Specu Odollam* Psal. LVII, 1. *juxta arcam* Regis *Arafna* 1 Sam. xxiv, 18. Elias in *monte Carmelo* 1 Reg. xii, 36 & 42. in *eremo sub junipero* Reg. xix, 4. Simson in *domo profana inter duas columnas* Jud. xvi. Tres pueri in *clibanō accenso* Dan. iii, 8. & sic alij alibi passim.

IV.

Christiani sub nova lege fixum orandi locum, quem Deus constituerit, non habent. Salvator hoc docet quando Samaritidi juxta puteum quærenti: Patres nostri in hoc monte (Garizim, ubi Templum ad imitationem Hierosolymitani erat structum, auctore Josepho l. xii r. Antiqq. lud. c. 6.) adorarunt & Vos dicitis, Hierosolymam esse locum, ubi adorare oporteat, respondit: crede mihi, mulier, fore tempus, quo *neque in hoc monte, neque Hierosolymis* in Templo Patrem adorabitis. Ioh. iv, 20. Iamdudum Locorum hanc indifferentiam prædixerat Sophon. c. ii. 11. Deos omnes terræ attenuabit Dominus & adorabunt eum *singuli de loco suo*, omnes insulæ gentium. Sic & Apostolus Corinthijs & omnibus, qui *invocant nomen D.N.I.C.* in *quovis loco* salutem nunciat, 1 Cor. i. Et 1 Tim. ii, 8. Viros orare jubet *in omni loco* similiter & mulieres. Quasi dicat: Olim non nisi uno loco ad publicum Dei cultum convenire licuit, sed hodie discrimen illud locorum cessat, nec locus loco sanctior est, quia ubivis sacer cœtus cogi & Deus solemniter prece adiri potest: neque enim hodie tam de loco, quam

§                    *LOCA PRECVM LIBERA.*

quàm de animo fidei & virtutis pleno laborandum est. Eadem est doctrina Patrum, è quibus S. Augustinus ita scribit: Munda tantum cubiculum cordis, ubi fueris *ubicunque oraveris, intus est, qui exaudis*, intus in secreto, quem *sinum* vocat, cum ait: Et oratio mea in sinu meo convertetur.

*Qui te exaudit, non est prater (extra) te.* Ne longe vadas. Tract. x. in Ioh. Et iterum de vera Innocentia cap. cccxiii.

Quid supplicaturus Deo locum aptum aut sanctum requiris? Interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate repulsa præpara tibi in corde tuo secretum. *Volens in Templo orare, in te ipso ora*, & ita age semper, ut Dei Templum sis. *Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.* In eandem sententiam scribit Clemens Alexandrinus: *Omnis locus verè sacer est*, in quo Dei notionem accipimus & cogitationem. Lib. vii. Stromatum.

Neque enim in locis sancta quærenda sunt, utor verbis Cyrilli, sed in actibus, in vita, in moribus, quæ si secundum Dominum sint, etiamsi *in Domo Dei* non sis, etiamsi *in foro* sis, & quid dico *in foro*? etiamsi *in theatro* inveniatis, verbo Dei deserviens, in sanctis te versari ne dubites. l. xii in Lev. Breviter & nervosè S. Ambrosius: NON

p. 41.

LOCVS ORATIONEM COMMENDAT, SED DEVOTVS ANIMVS, Pulchre S. Chrysostomus de loco precum Antiochenos suos instruit: Ne nos, inquit, excusamus, quod non sit facile hominem secularibus negotijs implicitum orare, prope se *domum oratoriam* non habentem. Nam *ubicunque sis*, potes altare tuum constitucere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Licet & *forum* petentem & ambulantem prolixas facere orationes. Licet & *in officina* sedentem & suentem pelles, animam Deo dedicare. Licet & *servo*, sive amat, sive ascendat, sive descendat, & adstanti coquo, cum ad Ecclesiam  
ire non



LOCA PRECVM LIBERA.

ire non poterit, orationem facere prolixam & solertem) Hom. LXXIX ad pop. Antioch. Totius Ecclesiæ circa Precum Loca sententiam Patres Constantinop. in Concilio VI. canone VII. pronuntiant: Commonendi sunt fideles omnes à minimo usq; ad maximum, ut Orationem Dominicam & Symbolum discant, quia his duabus sententijs omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Hæc faciant, quibus Basilicæ locus est, in *Basilica*; qui vero in itinere aut pro qualibet occasione *in silvis aut agris est*, ubicunque eum ipsa hora matutina vel vespertina invenerit, sic faciat, sciens Deum ubique presentem esse, dicente psalmista: In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino. Er: Si ascendero in cœlum, tu illices. Tomo II. Conciliorum, editionis Surianæ pag. 1036. Agmen claudat S. Bernhardus qui in Iubilo suo piè exclamat: *Quocunque loco fuero Jesum meum desidero.* Et profecto si mores veterum Christianorum spectes, vidisses aureo illo ævo, dum sanguis Christi adhuc calebat in Ecclesia, laicos æquè ac clericos Deo devotos, domi forisque orasse, adeoque inter epulas & operas manuales precibus instituisse. Vidisses tunc artificem in officina laborantem se suamque salutem orando Deo commendare. Idem factitabat arator ad flivam, nauclerus ad clavum, navita ac remum; fossor ad glebam, textor ad stamen, uxor ad colum, servus in villa, ancilla domum verrens; usque adeò apud Veteres loca omnia precibus personabant. In Vitæ Patrum legimus, monachum fuisse, qui in ipsa cloaca (venia sit verbo) preces suas horarias absolverit; interpellatum à Dæmone, quod in loco tam foetido orare non puderet, respondisse: Ego tecum dividam, Deo sit, quod supra; tibi quod infra. Quibus auditis Dæmon intolerabili foetore excito recessit.

B

V. Im-



Imprimis memorandum est, quod inter loca precum Sal-  
 vator *Cubiculum clausum* commendat, cum Pharisaicas  
 preces in angiportis vel ad angulos platearum factas repre-  
 hendit. Cum oratis, inquit, ne sitis sicut hypocritæ, quos  
 in synagogis, & in angulis platearum (puta in compitis &  
 quadriuis, in quibus est hominum concursus) stantes pre-  
 cari iuvat, ut ab hominibus spectentur. Tu autem cum o-  
 raveris, *intra cubiculum tuum & clauso ostio ora* Patrem tuum  
 in abscondito, & Pater tuus, qui in abscondita prospicit,  
 tibi in publico reddet. Matth. vi. vers. 5. Neque vero existi-  
 mes, hoc loco à Domino preces in plateis, in compitis, in  
*synagogis*, quarum vices hodie apud nos *templa scholæ* sub-  
 eunt, simpliciter damnari. Sanè in Macc. iii. vers. 19. Iu-  
 dai commendantur, quod è domibus suis agmine facto, ad  
 publicas preces profiluerint, quod mulieres alias conclusæ ad  
 portas, ad moenia Deo supplices concurrerint, alia de fe-  
 nestris prospectaverint, passisque in cœlum manibus lita-  
 nias fecerint. Sed in Hypocrisin Pharisaorum Dominus  
 invehitur, qui in locis publicis ob debitos fines non ora-  
 bant, verù ad ostentationē, ut sub hac pietatis larva, quam  
 Dominus detractam voluit, magni fierent, quemadmo-  
 dum etiam Eleemosynas & Ieiunia Pharisaorum Domi-  
 nus improbat, quod debito fine modoque non agerentur.  
 Interim ex verbis Christi constat, *loci solitaria & à seculi  
 turbis remota*, quale est *clausum cubiculum*, precibus maxime  
 idonea esse: ideo enim cameram clausam ingredi Domi-  
 nus orantes jubet, non quod locus ille sanctior sit, sed  
 quod ab eiusmodi occultis precibus ostentatio absit. (2)  
 Quod cum objecta sæpe moveant sensus, perque sensoria  
 facile

facile animo se ingerant, & devorionem turbent, in camera clausa alijsque locis à turba remotis minus objectorum sit, unde precum devotio interrumpi possit, quemadmodum etiam in templis oraturi *manum vel pileum* vultui præ- tendimus, ne devotio à varijs ibidem objectis impediatur. (3) Quod in clausa camera alijsque locis secretioribus, veluti remotis arbitris cum Deo per preces familiarius colloqui possimus. Psaltes preces ejusmodi solitarias suo exemplo commendat: Natara facio, ait, omni nocte lectum meum, lacrymis stratum meum irrigio. Exercuit nim. David. quod Dominus jubet, orate in cubiculo. Ab iisdem precibus Ps. cii, vers. 7. *Pellicano vel Onocrotalo, buboni in solitudinibus, Nyctivorasi in desolatis adibus, passeris solitaria in tectis* se comparat. De S. Adelgunde ex vetusto codice Mariano VVicelius in Choro omnium Sanctorum refert, quod quoties à Sacris publicis prohibebatur, clauso cubiculo ante lectulum suum humicubuerit & cum lacrymis Deum fuerit precata.

VI.

**P**Risci Patres per *cubiculum clausum*, quod precibus Salvator dedicat, COR hominis Christiani intelligunt. Ita S. Ambrosius exponit: Cubiculum tuum mentis arcanum animique secretum est. In hoc cubiculum tuum intra, hoc est, intra in alta præcordia, totus ingredi de corporis tui exteriori vestibulo, & claude ostium tuum. Quid sit ostium tuum, disce. Pone Domine custodiam ori meo & ostium circuitus labijs meis — Claudamus igitur ostium oris, ne culpa intret, ne lapsus aliquis sermonis exeat. In- trat culpa, si lapsus exierit. Lib. i. de Cain & Abele. 9. Si- militer S. Augustinus per cubiculum, cordis secretum in- telligit, & vult hoc Domini dicto evagationes mentis no-



rari. Vos, ait, cum oratis, cubicula vestra introite. Quæ sunt ista cubilia, nisi corda, quæ in psalmo etiam significatur, cum dicitur: Quæ dicitis in cordibus vestris & in cubilibus vestris compungimini. Lib. II. de sermone Domini in monte c. 6. Et iterum in psalmum 32. Inquisivi Dominum & exaudivit me. Vbi exaudivit Dominus? intus. Vbi dat? intus. Vbi oras, ibi exaudieris, ibi beatificaris. Orasti intus? exauditus es, beatificatus es, nec scit ille, qui juxta te stat; gestum enim est à te totum in occulto, sicut Dominus in Evangelico dixit: Intra in cubiculum tuum & claude ostium; & ora in occulto. Cum ergo intras cubiculum, intras cor tuum; & si loci visibilis mundicia te oblestat, quare te non offendit immundicia cordis tui? Hæc Augustinus. Erudite prorsus S. Chrysostomus observat ad hanc *πόηλον*, nos in cubiculo semper orare, quoties ita oramus, ut humanas laudes subterfugiamus, sive simus in Templis, sive in foro, sive alibi. Quoties autem cubiculum orandi causa ingredimur, & ingressu nostro videri vel commendari ab hominibus volumus, tunc licet in cubiculo versemur, juxta Dominum extra cubiculum oramus. Pie iterum Bernhardus in Iubilo: Iesum quæram in lectulo, *clauso cordis cubiculo* privatim & in publico.

## VII.

**I**Am ad Ecclesiam varijs persecutionibus exercitam progressi, nulla penes eandem Tempia vel Basilicas, in quibus preces publicas fundere potuerint, invenimus, nisi quod primos fideles Hierosolymis in Templo ad preces convenire solitos supra ostenderimus. Ethnicis quidem amplissima erant Tempia, idolis adorandis condita. Sed tantum abest, ut Apostoli in ijs oraverint, ut velut busta eadem sint execrati. Legimus quidem Apostolum Athenis

nis prope aram IGNOTO DEO sacram concionem habuisse, sed preces ibidem egisse non extat; quod inter *Memorabilia* centuriæ Magdeburgicæ Cent. 1. lib. 11. c. 7. referunt. Si tamen fides Hagiologijs habenda sit, quosdam sanctos ad Deorum fana atque idolorum delubra ut Deos adorarent, sed cum Dæmonum intus habitantium lugubri exitu protractos fuisse accepimus. Ita in Actis Thomæ Apostoli refertur, quod Rex Indiæ (Indorum enim Apostolus S. Thomas creditur) per vim ad Solis Templum raptari Thomam fecerit, ut Heliolatriam committeret. Sed dum genua coram idolo flectit Apostolus, Hebraico sermone Patrem Domini nostri Iesu Christi invocât, & in hujus nomine Diabolo præcipit, ut idolo cōnfracto exeat, quod subito factum, rogante Dæmone, ut cum idolo totum quoque Templum & intus conclusos Heliolatras perdere sibi liceret, quod tamen ab Apostolo non obtinuit. Sed quia hæc historia ex Apocryphis hausta est, transeat. Alias in vita Sergij & Bacchi, militum Maximiani legitur, quod Imperator omni exercitu stipatus Templum aliquando subierit, sed duo illi Christiani Heroës ne se polluerent, Templum ingredi noluerunt, verum extra Templum Christiano ritu oraverunt, quo indicio de fide in Christum proditi propter Deorum contemptum Martyres facti sunt.

IIIX.

**T**empla precibus fundendis Ecclesiam primis ferè tribus seculis non habuisse, nube testium ex Veneranda antiquitate ostendi poterat. Apud Originem, qui paulo post seculum II. à nato Christo floruit, Celsus Christianis altarium & Templorum defectum impropert, neque negat Origines, Tempia precibus fidelium deesse, sed nihil mali in eo situm docet, quod Christiani Deum suum non



14. *PRECES IN TEMPLIS IDOLORVM.*

in insensibilibus & vitæ expertibus Templis adorandum statuunt. Eodem fere modo Cæcilius Minutio Felici obicit, quod Christiani Tempia abominentur; Verba Cæcilij hæc sunt: Latebrosa est & lucifuga Christianorum natio, in publico muta, in angulis garrula, Tempia ut busta despiciunt, Deos despuunt, rident sacra. Sed egregiè respondet Minutius Octavij personam induens: An putatis, nos occultare, quod adoramus, quia delubra & aras non habemus? quod enim simulacrum Deo fingam, cum si rectè æstimes, homo ipse sit Dei simulacrum? quod Templum ei exstruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus capere eum non possit? Et cum homo laxius maneam, egone intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore. Ita Felix in dialogo. Vult autem hoc: Nos Christiani Templis sine Preceum damno caremus, cum totus hic orbis Dei sit Templum & ubivis locorum adorari Deus ex æquo possit, ut ad vestra Tempia preces deferre opus non sit. Nos optimum & precibus maxime commodum *Templum mentis* statuimus, cujus elegantem hypotyposin Prudentius carmine complectitur, lib. II. contra Symmachum:

*Templum Mentis* amo, non marmoris, Aurea in illo  
Fundamenta manent *Fidei*. Structura nivali  
Consurgit *Pietate* nitens. Tegit ardua culmen  
*Insiria*. Interius spargit sola piæa rubenti  
Flore pudicitia *Pudor* almus & atria servat.

Lactea Pater eloquentiæ, Lactantius in Ethnicos invehitur, quod preces suas Templis manu factis alligent: Cur, ait, oculos vestros in cælum non tollitis, ubi Deos vestros esse creditis? cur invocatis, Deorum nominibus in aperto  
sacri-

sacrificia celebratis? cur ad parietes, ad ligna, ad lapides spectatis? quid sibi Tempia, quid aræ volunt? quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium monumenta sunt. Lib. inde falsa religione. Et alibi: Deo non sunt Tempia congestis in altitudinem faxis exstruenda, sed Deus cuilibet in suo consecrandus est pectore. Ex illo Templorum defectu discimus errare illos, qui Templis solemniter dedicatis preces hodie adstringunt, non aliter ac si alijs in locis preces Deus non æquè audiat vel minoris æstimer.

IX.

**S**ciscitantibus fortè Sacrarum Antiquitatum Studiosis, Subinam per temporum illorum injuriam Christiani ad communes preces coierint? Respondemus, orasse illos tum temporis, aliquando in *privatis adibus*, quod Apostolico seculo frequens erat. Sic Act. i. vers. 13. dicuntur Apostoli cum Maria, matre Iesu in *cœnaculum hospitij* (cœnaculum superior pars domus erat, ad quam per scalas vel cochleas ascendi oportuit) ad preces ibi fundendas pro electione novi Apostoli ascendisse. Et, dum complerentur dies Pentecostes, omnes precibus intenti erant unanimiter *in eadem domo* Act. II. vers. 1. Cum Apostoli pericula sua Ecclesie enarrassent, Christiani elevatis vocibus ad Deum orarunt, ad quas preces *Domus commota est*. Act. iv. vers. 23. *In domo Marie* dum nocturnus precibus Christiani instant, Petrus ab Angelo è carcere liberatur, vestibuli fores pulsatur, & ab ancilla ad easdem *domesticas preces* intromittitur. Act. xii. v. eod. Cornelium quoque Italicæ cohortis centurionem, qui primus Ethnicorum ab Apostolis conversus est, *domi sue* cum omni familia orasse legimus Act. x. v. 2. Et eodem cap. v. 9. de Petro, quod *Domus supra domum* adorant-

16      *PRECES IN TECTIS. IN CARCERE.*

ad orandum ascenderit, memoratur. Vnde colligo morem fuisse orandi *in Tectis adium*, quæ græcis *δαματῆ* vel *αιώγαια* quod supra terrâ essent, latinis *Solaria* vel *Cœnacula* dicuntur. Neque mos ille mirus videbitur ijs, quibus ex Antiquitatibus constat, tecta Orientalium non fuisse, ut nostra nunc sunt, in cacumen fastigiata, sed plana & ad evitandum lapsum peribolo loricato cincta, quod propterea *Coronam domus* vocarunt. Deut. xxii, v. 8. In ejusmodi Tectis planis varia negotia sacra, civilia obire, deambulare, dormire, lectum diffundere, sacrificare solebant, quin & de iisdem tectis, velut ex ambonibus aut suggestis Templorum conciones habebant. Hinc Salvator jubet Apostolos *predicare super tectis*, quæ ipse in aurem dixerat, Matth. v. vers. 23. In quem locum Venerabilis Beda lib. iv, comment. in Lucam. Quum ait, Prædicabitur in tectis, juxta morem Provinciae Palaestina loquitur, ubi solent in tectis residere. H. l. Petri exemplo discimus, preces etiam in tectis suas: nec visio lintei e caelo dimissi *ἔτε τῶ δάματῆ* & de domo in coelum retracti (ab eo precum loco) abluere.

X.

**N**ec Carceres Precum Loca statuere veteres puduit, cum Apostoli ipsi in carceribus orasse legantur. Ita enim de Paulo & Sila dicitur: Conjecti sunt in iocum carcerem & pedes eorum numella constricti. Media nocte *orantes* ita laudarunt Dominum, ut à cæteris concaptivis exaudirentur, & ecce! ad preces illas terra subito concussa est, apertis carcerum ostijs & vinculis solutis. Act. xvi. In martyrologijs exempla precum in squalidis carceribus habitatum obvia sunt passim. S. Agatha post varios agones in carcerem conjecta ad Deum orabat eique animam commendabat. Quid sit finitâ prece in ergastulo tranquille obiit.

Meta-





PRECES IN LOCO SUPPLICII. AD LITTORA. 17

Metaphrastes de S. Iuliano recenset, quod abeuntibus carceris custodibus sacra symbola pectori imposuerit, usitatis precibus consecrarit, oculis in coelum sublatis, dein fidelibus in modum coronæ adstantibus orantibusque de pectore suo communicaverit. Ita olim Carceres Oratoria, pectora martyrum, Christi erant altaria. S. Cyprianus epist. xv. monet, ne glomeratim ad preces &c. sacra tractanda carceribus se ingerant, sed ut personas subinde mutant. Nec infrequens martyribus erat *in infami Suppliciorum Loco*, in quo securibus, gladijs, flammis, rotis, craticulis, laminis candentibus, plumbatis alijsve cruciatibus exponendi erant, orate ad imitationem Protomartyris, qui extra urbem ductus ad *calvaria locum, inter nimbos lapidum & saxeos imbres* se suamque & hostium salutem Deo hac prece commendabat: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Item: Ne statuat illis hoc peccatum. Act. vii, 59. Sed quid dico de Stephano, cum ipsius Christi *in monte Golgotha ad crucis stipitem* non pro se tantum suoque Spiritu, sed & pro crucifixoribus orantis divinissimum exemplum præsto sit. Ad littora quoque & ripas orarunt, quæ *littorea sacra vel riparias preces* legere est Act. xxi, vers. 5. ubi Paulus cum Tyri septimanam exegerat, à fidelibus abiturians ad mare usque ductus dicitur, quo in loco positus genibus in litore una orarunt, Paulique salutem Deo commendarunt. Sic & *Narvim* precibus habitis sacram Act. xxii, v. 35. invenimus.

XI.

Porro habitæ sunt Preces fidelium ævo Martyrum in Cryptis, in cellulis, incavernis monitum, in intonsis sylvis, in specubus subterraneis, quocumque fors improba eos compulit. Polydorus Virgilius lib. v. de invent. c. vi. cella subterranea precum loca nominat.

C

Vr bi

Vrbibus antiqui Patres fugere relictiſis

Et pietas nemorum latebras habitavit umbras,  
ait Mantuanus. Tempore Calixti, qui cathedram Romæ anno Christi cexxi tenuit, ob crebras persecutiones sacra omnia erant occulta & sacella potius atque eadem abdita & plerumque subterranea, quam ut apertis in locis ac publicis preces & cœtera sacra fierent, scribit Platina. Testimonia Antiquitatis vide ROMA SVBTERRANEA Pauli Aringhi. Gabriel Biel in canonem missæ lect. xi. iii. ex Alexandro Alensi refert à tempore Petri usque ad tempora Sylvestri, hoc est, usque in Quartum Seculum Christianos Romæ non tantum in privatis adibus vel in cryptis ut reliqua sacra, sic & preces habuisse; sed & *lignum altaris* instar arcæ concavum de una domo in aliam, de crypta in cryptam circumgestasse, in quacunq; Episcopus deliquerit. In Tomis Conciliorum Epistola Cornelio Papæ Anno Christi ccliv. tribuitur, in qua Auctor ita scribit: Est ad hoc in urbe Roma Imperator (lege, Inquisitor) constitutus, ut publice neque *notioribus cryptis* missas (hoc est preces publicas cum usu Eucharistiæ conjunctas) agere nobis liceat. Vnde patet, nec cryptas aliquando ruta precum loca in veteri Ecclesia fuisse. In memoriam hujus rei adhuc in templis Cathedralibus Cryptas positas invenimus. Similem sortem experta est Ecclesia seculo Quarto, Cæsare Valente, sub quo Arrianis rerum potitis Fides Catholica in cellulis habitasse, & in carceribus constituisse dicitur, imo nec Monachis tuto orare in cellulis licuit, metuentibus, ne ad militiam traherentur, teste Ruffino lib. ii. hist. c. vi. Nec mitius cum Hussitis h. cum Christianis in Bohemia, actum est, qui à pontificia tyrannide ad incitas redacti *in locis occultis, in cellis, in serobibus* preces suas & cœtera sacra habuerunt.

buerunt, à quibus precum suarum locis contemptim dicti sunt die Grubenheymer / scribit Nic. Selneccerus in Enarratione psalmi vii.

## XII.

**E**X iisdem primitivæ Ecclesiæ persecutionibus factum est, ut Christiani ad *sylvas, ad montes, ad antra cæca rupium* sese receperint, & in iisdem locis sua cum Deo colloquia per preces habuerint, quas recte *Peces sylvestres, Preces montanas, Preces Vallenfes* denominare possis. Temporis successu hæc orandi loca, quæ olim cogente necessitate precibus fuerant dicta, sponte à plurimis frequentata sunt. Inde nati sunt tot Eremitæ, Anachoretæ Cœnobitæ, Monachi, Ascetæ, Mandritæ, Archimandritæ, qui in eremis, in claustris, in cœnobijs, in Mandris, in Phrontisterijs vel Monasterijs, inter condensa veprium & convexa vallium Deo & bonæ menti, orando præsertim vacarunt. Commendat hoc orandi studiû in eremo per annos lx exercitum de Paulo Thebano, primo omnium Eremitarum S. Hieronymus in ejus vita. Secutus hunc est S. Antonius, qui vitam eremiticam ad *anunv* perduxit, & *in solitudinibus Aegypti* degens semper ferè *totas noctes precibus* invigilabat, & usque dum lucesceret, precari non desistebat, auctore Sozomeno lib. i. historię Eccl. c. xiii. qui & hanc rationem precandi veterum Monachorum ita describit: Deum noctes diesque sancte colunt, & precibus atque orationibus placare non cessant. Et paulo infra: Extra muros urbium in *agrjs solitarijs & in hortis* ætatem degunt. Sacræ ædes illis sunt, quæ vocantur *Monasteria*, in quibus ab alijs separati vitæ sanctæ mysteria obeunt, Deumque psalmis & hymnis assidue colunt. C. xiii. Tempore Vitaliani Papæ Anno Christi DCLX Arbogastus, eremita in Alsatiam venit,

ibique in sacra ne more ubi nunc Hagenoa sita est, Oratorium condidit, inque sylva jejunijs precibusque Deo diligenter servivit. Sæpius tamen ex cremo prodijt & ac colas verum Dei cultum subversa idololatria docuit, teste Balæo, in Centur. Britan. xiv. cap. 81. Sed exemplis hæc talia precum loca velle probare forsitam superfluum est, cum in omnibus Menologijs, Hagiologijs, Viridarijs Sanctorum exemplapassim occurrant.

## XIII.

**A**Lij longius progressi precum causa Turribus, Ædiculis, casis, conditorijs & sepulchris, veluti perpetuis carceribus sua se sponte concluderunt. Ita de virgine Alexandra traditur, quod in sepulchro per duodecim annos visitaverit, & quaesita, quibus negotijs tempus falleret? respondit, à prima luce usque ad nonam certis precibus Deum adeo, proximam horam lanæ faciendæ vel penso trahendo impendo. Dein coelestium Heroum vitas disco — ubi ad vesperscere coepit, laudibus Deo dictis cibum gusto. Noctis maximam partem precibus transigo semper spe coelum affecto, prout hæc in Viridario suo Matthæus Raderus part. ij. c. 5. tradit. Dicti sunt hi tales quod in locis clausis preces cum omni vita exigerent, *Sancti Clausi*, Germani vocant *Klausner*. Alijs denique religio fuit noctu & interdium standi & orandi *ἡ νῆξ σόλοισ*, super cippis vel columnis, à quo loco Grecis *Stylita*, latinis *Stationarij* dicti sunt, de quorum auctore Simeone Theodoretus in ejus vita alijque referunt, quod totas sæpe noctes cum dies festus immineret, manibus in coelum protensis in columna sua immotus steterit, coelumque assiduis votis pulsaverit, quin & alias in cippo suo sæpe una cum nocte diem usque ad nonam, quæ apud nos est tertia pomeridiana, precum exercitio

no dederit. Erat columnis illis, modius, cella vel domicilium impositum, in quo ad preces, super terram elevati stabant sine tecto, ut libere coelum intueri possent. Sed ut citra necessitatem & sacrae Scripturae autoritatem haec orandi loca & vivendi genera delecta sunt: ita magnopere dolendum non est, quod per orbem Christianum, in nostris praesertim Ecclesijs desierint.

XIV.

**V**Tut vero antiquis per prima tria secula templa defuerint, adeoque necessitate coacti Veteres in cryptis, in sylvis, in antris oraverint, ut ostendimus; animadvertimus tamen, quod plerumque ad Coemeteria vel ad tumulos Martyrum convenire soliti sint, de quibus videri dignus est Onuphrius Panvinius in lib. de ritu sepeliendi mortuos cap. undecimo, ubi docet, non tantum ad Martyrum sepulchra precum causa praescos convenisse, sed & ampla & capacia loca coemeterijs adjacentia in oratoria convertisse. Legimus, inquit, veteres Pontifices inter Martyrum tumulos, Stationes, hoc est, omnes actus publicos (*publicas preces, lectiones SS. Conciones, liturgias*) celebrare consuevissent. Itaque haec Coemeteria erant Christianis veluti Tempa & orationum loca. Hinc solenne erat Tyrannis persecutionem moturis & publicas fidelium preces inhibituris, ut usum coemeteriorum interdicerent. Ita refert Eusebius lib. vii historiae Ecclesiasticae c. 16. de Dionysio Alexandrino, quod praeses Amilianus minatus fuerit Dionysio ejusque collegis: Nequaquam vobis vel alijs licebit synodos colligere vel ad coemeteria, ut vocant, ingredi. Contigit aliquando, ut cum Halcyonios dies nata esset Ecclesia, Christiani in Coemeterijs Fabricas vel aedificas excitaverint, sub quibus ab injurijs caeli immunes com-

precari possent, quæ licentia tunc temporis in magna erat felicitatis parte. Scribit Damasus vel ut rectius dicam Anastasius bibliothecarius in Vitis Pontificum, S. Fabiani Romani Episcopi operâ tales fabricas bene multas in Coemeteriis conditas fuisse, interdum non sine aliquo splendore. Et has domunculas juxta tumulos Martyrum structas prisca *συνθησια* vel ORATORIA appellarunt, quod Oratio primaria actio esset in ejusmodi ædiculis fieri solita, sed hæc Oratoria omnia sub Diocletiano in ipso festo Paschæ à culmine ad pavementum usque una cum ipsis fundamentis diruta oculis nostris conspeximus, scribit Eusebius l. ix historiæ cap. 2. Quanquam postea Maximinus à Deo graviter percussus, *τὰ νεκρὰ συνθησια*, ut sonant verba edicti apud Eusebium lib. ix historiæ c. 10. hoc est Dominica hæc Oratoria reparare & ædes sacras Christianis ereptas repetere permisit. Iuvat de iisdem precum Locis etiam Nicephorum adire & audire. Erat, inquit ille, aliquando tempus, cum Christiana confessio pulchre staret — Ostendunt hoc plurimorum millium hominum in Oratorijs domibus cœtus & conventus habiti, quæ Oratoria cum tantam multitudinem propter angustiam non caperent, cernere erat ex parvis initijs & fundamentis in angusta amplitudine, in locis omnibus excitari Tempia. quæ ipsa temporis processu incrementa ampliora ceperunt, cum nemo esset, qui ea ædificari prohiberet. lib. vii historiæ Eccles. cap. 3. Postea cum Templorum usus pace Ecclesiis reddita invaluit, precum causa ad tumulos Martyrum ire amplius non placuit. Hinc concilium Laodicenum, cujus canones in codicem canonum universæ Ecclesiæ recepti sunt, ita statuit; Non concedendum est, ut quis ad coemeteria vel ad ea quæ dicuntur Martyria quorum vis hæreticorum, *orationis* vel curationis gratia accedat.

EX illo veterum more orandi in cœmeterijs sequiori a-  
 vo superstitionem cepisse existimo, quâ preces ad tu-  
 mulos sanctorum vel ad reliquias Martyrum alligantur.  
 Precum ad sepulchra habitatum exempla varia Gregorius  
 Turonensis lib. de gloria Confessorum c. xxi. recenset. Gre-  
 gorius ipse cap. lxxvi. *ad tumulum Memmij* Episcopi Catalaun-  
 nensis se pro febricitante orasse meminit. In vita S. Aphræ  
 meretricis conversæ narratur, quod cum Aphra Augustæ  
 in Germania ob fidem Christi esset combusta, mater ejus  
 Hilaria noctu prope moenia urbis filiam sepelierit, ibique  
 memoriam condiderit, in qua cum ancillis suis Deum quo-  
 tidie deprecata est, donec Gaius *facellum tumulo superstru-  
 ctum*, apposito stramine & clausis foribus cum Hilaria &  
 ancillis intus orantibus concremaret, referente Georgio  
 Vvicelio in Choro Sanctorum lib. iix. c. 28. Quicquid sit  
 de certitudine hujus historiæ, morem inde ad tumulos o-  
 randi agnoscimus. De monachis *ad sepulchrum Austregisili*  
 flebiles preces fundentibus auctor est Vincentius in Specu-  
 lo historiali lib. xxiii. c. 29. quod vindictam contra hostes  
 obtinuerint. Albertus Cranzius lib. ii. Saxonix c. 14. de  
 Sancto VVillehado, primo Bremensium Episcopo tradit,  
 quod cum S. Ludgerus, VVeerdæ & Helmstadi olim Ab-  
 bas in montem Cassinum ad Ordinem S. Benedicti se contu-  
 lisset, VVillehadus in Galliam *ad sepulchrum S. VVillebror-  
 di* confedit, & ibidem biennio precibus institit, magnus  
 Saxonix Apostolus futurus, orans interim pro persecuto-  
 ribus & pro gente Saxonum, ne factum in eos fidei semen  
 inimicus homo supplantaret. Hæc Cranzius. Annon hæc  
 superstitio est? Quid enim tumulus VVillebrordi in Gallia,  
 vel VVillebrordus ipse è tumulo suo ad convertendos Sa-  
 xones in Germania conferat?

Preces Reliquijs Sanctorum affixas docet Concilium Carthaginense, vulgò dictum Quintum, quod Oratoria nulla nec altaria, nec preces, nec ulla sacra absentibus Reliquijs valere existimat. Verba Canonis xiv. hæc sunt: Placuit, ut altaria, quæ passim per agros aut vias, tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur: ab Episcopis, qui iisdem locis præsent, si fieri potest, evertantur; vel si hoc propter tumultus populares fieri non potest, plebs admoneatur, ne illa loca frequentent — & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut certæ Reliquiæ sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis (alicujus sancti) fidelissima origine traditur. Ex quo canone patet jam eo ævo Sacras Synaxes, quarum potior pars sunt publicæ preces, ad reliquias vel ad ossa Martyrum adstrictas fuisse. Ex hac superstitione accidit aliquando, ut ad ossa alicujus nebulanis, latronis vel alias malefici preces fuerint peractæ. Memorabile ejus rei exemplum Severus Sulpitius in Vita Martini, cap. iix recenset: Erat locus cœnobio S. Martini contiguus, qui magna hominum frequentia *precorum causa* visitari solebat, quod communis esset fama, *ossa alicujus Martyris* eo in loco recondita. Sed hæc res S. Martino inspecta visa est, quod nec de nomine Martyris ibidem sepulchri nec de tempore Martyrij ejus constaret. Paucis itaque fratribus secum sumptis super tumulum constitit, precibus ad Deum fuis, ut quis esset defunctus & cujus meriti, sibi revelaretur. Apparuit *sordida umbra*, distitans, se, ad cuius sepulchrum iuges preces fierent, latronem propter scelera occisum fuisse, & errore vulgi precibus coli, quibus auditis



auditis S. Martinus altare, ad quod orare haecenus, turba consueverat, evertit, nec postea quemquam eo in loco orare permittit. Hæc ita Sulpitius. Unde vides, quam suspecta sæpe sint loca & ossa, ad quæ hodiernum Pontificii preces creberrimas agitant.

XVII.

**D**E Reliquiis quidem S. Polycarpi, Smyrnenfium Antistitis vanus erat, gentilium metus, ne Christo relicto, hunc adorarent. Ignorant, inquit Smyrnenfes in Epistola, nos nec Christum unquam relinquere nec alium quempiam adorare posse. Nam hunc tanquam filium Dei adoramus, martyres vero tanquam discipulos & imitatores Domini diligimus, quorum & nos consortes fieri optamus, apud Eusebium l. iv. hist. Eccl. c. xvi. Postea cum non tantum apud reliquias martyrum, sed & easdem invocant, neque tantum amorem, sed & religiosum cultum iisdem impenderunt, preces ad martyrum reliquias, *si tamensunt martyrum*, ut rectè jam suo ævo S. Augustinus dubitat in l. de opere monachorum, impietatis & idololatriæ haud injuria accusaveris. Dignus audiri h. l. est Erasmus in libello de modo orandi: In ostentandis, ait, Sanctorum Reliquiis, quantum in plerisque locis superstitionis est? In Anglia offerunt osculandum calceum Divi Thomæ, quondam Archiepiscopi Cantuariensis, qui forte calceus est alicujus balatrænis, & ut sit, quid ineptius quam adorare calceum hominis? Vidi ipse, cum ostentarent linteola lacera, quibus vir ille dicitur absterxisse mucum narium, Abbatem ac cæteros, qui astabant, aperto scriniolo venerabundos procidere ad genua, ac manibus etiam sublatis adorationem gestu representare. Erat mecum Joh. Cochelus, cui hæc indigna videbantur. Hæc ibi Erasmus, Et nelon-

D

gius



gius provehamur, hoc ipso jam currente A. C. CIO D. CLV. Treviri nuper ad reliquias ibidem in Tempio ostensas quanta populi multitudo, ut oraret, undique cucurrit. Ostensa est Tunica Christi, Deus Petri, Pileus Pauli, Baculus Petri, lignea Crux Domini &c. ad quas reliquias post octo Secula (si vera est fabula) Treviri detectas seducta plebecula non tantum orarunt, sed illas ipsas superstitiosè invocarunt tali prece: Salvete sacræ Reliquiæ—caelestem nobis acquirite gratiam—per merita Christi & vestra (ô vocem impiam!) & omnium Sanctorum. Iuvate nos nunc & in hora mortis. Ita enim juxta Reliquiarum iconas adjecta formula orandi sonat. O cæcas hominum mentes! Quid quæso, in extremo agone Dens Petri? Pileus Pauli? Tunica inconsutilis juvet? Quæ nugæ, in tanta Evangelii luce?

## XIX.

Sicut de Reliquiis, sic & de Precibus juxta Sacras Imagines olim habitas factum est, ut quum in V. E. juxta reliquias in memoriis martyrum orarent, tandem ad ipsorum ossium cultum prolapsi sint: sic & inducto more *juxta imagines Christi & sanctorum* in eorundem memoriam precandi, ruenti ætate ad adorandas ipsas imagines processerint. Mox quidem juxta statuas orandi à temporibus Gregorii M. h. e. ab initio seculi VII. increbuit. Ex eo autem, quod Eusebius de Statua ænea Hamorrhousæ Casaræ Philippi memorat, præter imaginem Jesu sub viri forma honestè Stola amici & dextram mulieri dantis, imaginem mulieris *genibus flexis supplices manus ad imaginem Jesu tendentis* stetitisse (L. VII. hist. Eccl. cap. 17.) non probatur mos ad Statuam orandi, sed solum historia Evangelica Luc. IIX, 43. proponitur. Media ætate coram imaginibus homi-

homines ipsi orare volentes detecto capite flexoque poplite procubuerunt, non quod imagini preces deferrent, sed cum objecta moveant sensus, eo loco ex obtutu S. imaginis piam aliquam historiam devotioni in precibus excitandæ utilem sibi eo modo exhibitam voluerunt, perinde ut nonnulli solent coram aperto Codice Biblico orare, quanquam adoratio illa prope imagines, periculi & scandali plena sit. Ita moribundis imago Crucifixi ostensa est, ut precibus Christo crucifixo animam commendarent. Et Cardinalis Hosius ex eo ritu infert etiam sub Papatu homines in Christi morte confisos obiisse. In Conf. fidei Petri c. 73. Inscriptio Imaginum Crucifixi, qua ad easdem fieri preces jubent, communiter hæc est:

Effigiem Christi, cum transis, semper adora.

Non tamen effigiem, sed quem designat, honora.

In Concilio Niceno II. quod cultui imaginum impense faveret, Sabas, piissimus monachus (verba Concilii refero) dicit: Domine, etiam nos indigni servi tui petimus imagines suis in locis restitui, ut Christiani PRECES APVD EAS fundant Actu. v. Verum hic superstitio nondum substitit: Nam cum prisci juxta imagines orarent, infima ætas Ecclesiæ, præsertim vulgus pontificium ad adorandus imagines ipsas decedit, adeoque Delectus ille Locorum, cum nunc ad reliquias Sanctorum, nunc ad imagines preces adstringerent, τὴν ἀγιολατρείαν & εἰκονολατρείαν insigniter promovit. Sed ea de re pluribus alibi. Nos ad Loca Precum Veteris Ecclesiæ revertamur.

XIX.

EX quo Deus Opt. Maximus sub Constantino Magno Ecclesiam respirare fecit, passim locorum *Basilica & Kyriaca*, à qua voce Germani vocant *Kirchen*, vel *ades Dominica*,

D 2

quas

quas Germani hodiernum per apharasin vocant *Dohm* vel  
*Dohmkirchen* / satis magnificæ & illustres erectæ sunt, eaque  
 ut ad cætera Ecclesiastica officia, ita cum primis ad Pre-  
 ces publicas destinata sunt, quod vel ex earundem *Dedica-*  
*tionibus* videre est. Cum Constantinus Magnus, qui ut di-  
 ximus, primus condendis fidelium Templis imperii thesau-  
 ros aperuit, Hierosolymis encænia celebraret, Deoque  
 Templum Salvatoris in cranii loco dedicaret, meminit Eu-  
 febius *precibus sacerdotum diem illum solennem factum & sup-*  
*plices in illo Templo preces pro communi pace, pro Ecclesia i-*  
*psius Imperatoris, harum praeclarissimarum rerum auctore, Proque*  
*ejus Deo charis liberis factas.* Verus Dedicandi formula: DO-  
 MUS DOMINI DOMVS PRECUM adhuc perseverat.  
 In Decreto Gratiani ex epistola Felicis ad Orthodoxos,  
 Tempia vocantur Tabernacula Dei, *divinis precibus delibata;*  
 & in epistola II. Clementis, Loca, quæ *divinis precibus sacrare*  
 oportet, aditis *Sacerdotibus Deo ibidem per preces dicatis.* Di-  
 stinct. prima de Consecr. cap. xi. & cap. xiii. ut vides omnia  
 in Templis ad preces collimare. Concilium Gangrense  
 Sec. IV. habitum, cujus canones in codicem canonum uni-  
 versæ Ecclesiæ recepti sunt, eade re sic statuit: Si quis do-  
 cet domum Dei contembilem esse & Synaxes, quæ in ea  
 fiunt, anathema sit. Scribit Sozomenus, cum Arriani  
 Ecclesias Constantinopoli tenerent, Gregorium Nacian-  
 zenum in *exigua quadam cellula* vixisse, quæ in *domum preca-*  
*toriam* fuerit conversa, postea *Templum* rrbis effecta præcæ-  
 toris illustre, dictum *Anastasia*, templum, *domus vniuersæ*  
*sanctorum*, quod ex illo Templo per Homilias Nazianzeni Fides  
 Catholica resurrexisset, Lib. vii. historiae cap. 5. Videtur hoc  
 loco Sozomenus inter *Oratorium & Templum* discrimen po-  
 nere, non quod in Templis oratum non sit (nam & hæc ve-  
 teribus

teribus negotiorum erant & dicebantur) sed quod Templum orandi domus insignior, magisque frequentata sint.

XX.

SANCTUS Augustinus, cum stupendos effectus precum in Templis apud *Martyria* habitatum (*Martyria* in Veteri Ecclesia erant loca Templorum cancellis cincta, memoriae alicujus martyris dicata, ad quæ orandi causa, prisca procubuerunt) enarrat, præsertim ad memoriam S. Stephani in Templo Hipponensi, inter alia de Juvene membris omnibus tremente commemorat, quod ipso die dominico mane, cum jam frequens populus aderat, *loci sancti cancellos, ubi erat martyrium Stephani, orans tenuerit*, & suis ibidem precibus restitutus sit. Digna est historia, quam ex S. Augustino Studiosi sacrarum Antiquitatum cognoscant. S. Ambrosius in oratione *de tradendis Basilicis* dicit, se quotidie precum causa *ad Martyres ire*, hoc est, ad memorias Martyrum in Templis. Theodosius Senior ob eadem Thessalonicensium a foribus Templi, per S. Ambrosium prohibitus cum pœnitentiam egerat, ad Templum in ipso Festo Natali redit, & in ædicula saluatoria ab Ambrosio absolutus, Templum denuo ingressus præces edidit non stans, nec genibus flexis, sed *pronus humi abjectus versum illum Davidicum recitavit: Pavimento adhasse anima mea. Vivifica me Domine secundum verbum tuum. Simul capillos manibus lacerans frontem feriit, & lacrymis solum Templi rigavit*, teste Theodoretto lib. v. historiae cap. 17.

XXI.

SANCTUS Chrysostomus hæc publica Precum Loca plus vicè simplici commendat. Homilia xxvi. in Matth. Sacerdotem altari assistere, proque præsentibus & absentibus orare scribit. Homilia xix. in Acta Apostolorum Audito-

D 3

res

PRECES IN TEMPLIS.

res suos ad extruenda *Templa in pradiis & villis* exhortatur i-  
 deo, quod in iis preces fiant: Preces, ait, illic perpetuæ sunt  
 propter te, laudes & synaxes propter te, oblatio per singu-  
 los dies dominicos. Et iterum; Parum est, dic quæso, quo-  
 tidie pro villa tua preces ad Deum fieri. In Homilia de cru-  
 ce & latrone, quemvis quidem locum precibus idoneum  
 censet. Et Homilia iix. in i. ad Tim. negat preces fidelium  
 certo loco affixas, interim maxime congruum censet pre-  
 ces *in ade sacra* fieri, imo Homilia tertia de incomprehen-  
 sibili natura Dei; *Preces in Templis habitas magis efficaces*, quam  
 privatas & domesticas putat, productis exemplis *Obsessorum*,  
 quia Dæmone per preces fidelium in Templis liberati sunt,  
 Graviter denique in illos invehitur. qui relictis Templis  
 domi se orare jactabant, vel finitis tractatibus ante è Tem-  
 plo exibant, quam preces cum Ecclesia funderunt, monet-  
 que omnes ac singulos auditores in Templis, ut commu-  
 nibus Ecclesiæ precibus propter magnam earum vim in-  
 terfint.

XXII.

**R**Ecte Cæsarius: Venientes ad Ecclesiam, inquit, hoc  
 solum quod in Ecclesia expedit agite, aut ORATE aut  
 PSALLITE, ut orando peccatorum veniam accipere, &  
 psallendo ad gaudium spiritus pervenire possitis. Homilia  
 xxx. *Ecclesiam* ex illius seculi more loquendi *Templum* ap-  
 pellant, qua occasione notabis veteribus & ante & post ex-  
 tructa amplissima *Templa* nomen *Templi* dñi exosum fuisse.  
 Inde Zeno Veronensis Sermonem de continentia, Chri-  
 stiano orare volenti *Ecclesiam*, *Ethnico* *Templa* adiri si-  
 gnificat, & S. Hieronymus in epist. ad Riparium de Vigi-  
 lantio, quem obspretas *Vigilias* *Dormitantium* appellat, con-  
 queritur, quod cum Iuliano Apostata *Basilicas* (hæc erant  
 fideli-

fideliū oratio) in Tempa (hæc erant idolorum delu-  
bra) converterit. Sed hæc obiter. Hesychius lib. vii. in  
Levit. in Templis fieri solita paucis complectitur: *Sancta*  
ait, *est Oratio* sancta divinæ scripturæ lectio & interpretati-  
onis auditio, sancta sunt, ut breviter dicam omnia, quæ in  
Ecclesiis Dei (Tempa intelligit) aguntur & dicuntur. De  
Theodosio Juniore Nicephorus refert, quod audita victo-  
ria de Tyranno, in Ludis Circensibus populum convocave-  
rit: Agite, si ita videtur, & ludicro dimisso *in eadem precato-*  
*riam* eamus, & carmina gratiarum agendarum auctori vi-  
ctoriæ canamus. Hæc ubi dixit, neglectum est spectaculo-  
rum, & omnes per circum euntes cum hymnis & carmini-  
bus *euœis* in vicinum Templum abierunt lib. xiv. histo-  
riæ cap. 7. Mauritius Cæsar ut pro peccatis suis deprecare-  
tur, *discalceatus Templum introiit*, & in Templis, Cænobiiis,  
Eustèriis omnibus toto imperio preces pro se fieri petiit,  
teste Paulo Diacono lib. xvii. rerum Romanarum.

XXIII.

Venerabilis Beda de magnatibus sui, Seculi conquæ-  
ritur, quod in Templis non nisi precibus & concioni-  
bus intendat: Potentes seculi, ait, nunquam, nisi *orandi*  
& *audiendi* verbum causa veniunt. Rex ipse quoties oppor-  
tunitas exigit, cum quinque aut sex ministris venit, & ex-  
pleta concione statim discedit. Lib. vi. historiæ c. 9. Sed hi  
Magnates excusari fortassis possunt, quod precibus & con-  
cionibus finitis, theatricis illis nugis, quibus jam eo tem-  
pore Missa arat obruta, spectatores interesse noluerint.  
porro in Germania etiam Tempa ad orandi usum condita  
post Seculi IIX. primordia ex epistola Gregorii II. ad Thu-  
ringos videre est, qua cum Bonifacium Germanorum A-  
postolum Papa commendasset, subjungit: Facite domum,  
ubi

ubi ipse pater vester (Bonifacius) possit habitare, & *Ecclesiasticas, ubi possit orare*, ut Deus vobis peccata vestra indulgeat. Tom. III. Conc. Audiamus denique Walafridum Strabonem, qui libro de rebus Ecclesiasticis cap. x. de Precibus ad Tempia deferendis ita scribit; Quid fieri debeat in locis Deo consecratis, Dominus per Prophetam & per seipsum satis manifestat, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Et Psalmista: *Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum.* Et cap. xi. Beatus Pater Benedictus in Regula Monachorum recte præcipit, ut ORATORIVM hoc sit, quod dicitur, nec ibi aliud quicquam geratur,

## XXIV.

**S**emper autem majoris habitæ sunt preces ad Altaria Shabitæ, quando Eucharistia fuit peracta. S. Augustinus de matre S. Monica scribit, eam pro se preces post obitum *in Templis ad altaria* fieri mandasse, quod ex iis victima in cruce pro nobis oblata dispensaretur. Verba Augusti Patris hæc sunt: *Memoriam sui ad altare tuum ancilla tua, mater mea fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam, qua delectum, est Chirographum contrarium nobis, qua triumphatus est hostis* — Ad hujus precii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Et jam dudum ante S. Augustinum Tertullianus *Stationes* hoc est, preces publicas à stationibus in S. Synaxi fieri usitatas commendat, cum *ad aras vel altaria* aguntur: Solennior, inquit, erit tua statio, si *ad aram Dei* steteris, accepto corpore Domini & reservato. Vtrumque salutis est, & participatio sacrificii & exsecutio officii. In libello de Oratione. Sic & ab exemplo Gorgonix, quæ erat soror Gregorii Nazianzeni, mos ad altaria orandi patet:



patet: hæc enim incurabili morbo laborans *ad altare* accessit & *capite illi admoro* cum lacrymis & magno clamore preces ad Dominum juxta altare effudit, minata, se nolle aram ante dimittere, quam valetudinem recepisset. Hæc mine Deo placuerunt, nam Gorgonia de Altari sana surrexit, prout ista refert Gregorius Frater. Imo mos prope modum oecumenicus fuisse videtur in Altari sacra symbola exponere, & in horum conspectu preces fundere, quod egregie observat Venerandus Dn. D. Calixtus: Prisci *reges* (ait) ad Altare sive sacram mensam orabant, quemadmodum ex iis, quæ protulimus, intelligi satis potest, inuententes coram exposita sacra symbola, nempe ut passione & morte Christi animis efficaciter impressa Deum Patrem per eandem, quam maxime ardentem & devote invocarent. Tract. de Sacrif. Missæ th. LXXIII. Hodie in nostris Ecclesiis eadem preces de Altari ad suggestum translatae sunt, symbolis consecratis in Altari, quod plerumque à suggestu non adeo remotum est, propositis. De cætero inter veteres & nostras preces publicas nihil ferè discriminis est.

## XXV.

**R**Egè autem Veneranda Antiquitas Oratoria & Templâ Precibus fundendis statuit, non quod locus sit *de necessitate orationis* (Nam non quæritur locus orationis, sed sensus. Jeremias *in carcere* confortatur. Daniel *inter leones* exultat. Tres pueri *in fornace* tripudiant. Hiob nudus *in Stryquilio* triumphat. Paradisum *de cruce* latro invenit. Non est locus, ubi non sit Deus, scribit S. Augustinus in Serm.) Sæpe tamen locus facit *ad bene esse* precum, quia Oratio solitudinem & quietem requirit, scribit Thomas de Aquino Comment. in verba illa Pauli: Volo viros orare in omni loco; In Templis sanè *Attentio, Deyotio, Efficacia*

E

precum

precum facile major est, non quidem ex sanctitate loci sed ex sacris conventibus & sacris rebus in Templo peragi solitis. Attentio ideo, quod certi sumus Deum in Templis, cum sacra publica fiunt, singulariter praesentem esse. Quoad essentiam quidem immensus, & omni praesens est Deus, nec uno magis loco, quam altero, imo sub hac ratione Daemonibus & damnatis, non minus atque Angelis & beatis in caelo praesens est. Si ascendero in caelum, ait Psaltes, tu illuc es, si descendero in infernum, ades. Si sum seno penas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etiam illuc manus tua deducet me. Cum dixerero, tenebrae fortassis occultabunt me, est & nox illuminatio mea. Ps. cxxxix. v. 8. Sive igitur in caelo sive in inferno, sive ad terminos mundi, sive in tenebris, sive in luce oremus, Deus ubique locorum id audit, nec Templis aures suas propius admovent. Sed quoad speciales gratiae effectus, praesentior est Deus sub velamine verbi & Sacramentorum in sacris aedibus, de quibus recte illud Jacobi dixeris: Verè Dominus est in loco isto. Ita enim Dominus promisit: Ubi duo vel tres in nomine meo congregati sunt, ego sum in medio ipsorum Matth. xviii. vers. 20: Praesentia illa Numinis reverentiam Templis conciliat, ut magis attente ibi oremus.

## XXVI.

**D**evotio precum in Templis itidem vehementius accendi potest (Templa autem non ligna lapidesque in aedis formam compositos, sed publicis fidelium coetibus & sacrorum exercitiis repleta intelligo) cum ibidem tot horrenda mysteria, tot divinissimae actiones peragantur: Nunc enim in Templis *hymni & psalmi* lacrymas devotionum exprimunt, nunc è sacro codice *lectio* animos movet, nunc sub Dei persona plebem alloquitur *Tractator*, ad poenitenti-

am auditores compungit, aliosve pios motus excitat. nunc  
*SS. Eucharistia*, in qua Salvator suo pte corpore & sanguine  
 realissimè præsens est, fidelibus sacra symbola devotè su-  
 mentibus distribuitur, quæ utique egregia sunt precum fo-  
 menta & suscitabula devotionis. Quam devotus in preci-  
 bus S. Augustinus, baptisimi jam Candidatus ex Ecclesiæ  
 psalmodia factus sit, ipse edisserat: Quantum fieri in  
 hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus  
 acriter commotus? Voces illæ insuebant auribus meis &  
 eliquabatur veritas tua in cor meum & ex ea aestuabat affe-  
 ctus pietatis & inde currebant lacrymæ & bene mihi erat  
 cum eis. Lib. IX Confessionum c. 6.

XXVII.

**E**fficacia denique Precum in Templis aliisve locis divino  
 cultui mancipatis facile major est, non ideo, quod hic  
 vel iste locus solemnè ritu Deo dicatus sit (absit ut ejusmo-  
 di commentis hominum, qualia in Papatu *Dedicationes*  
*Templorum* sunt, exauditionem precum affingamus) sed  
 quod in Templis magna fidelium una orantium multitudo  
 conveniat, quibus à Christo spes exauditionis facta est.  
 Ita enim Dominus: Si duo ex vobis super terram consen-  
 serint de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre  
 meo, qui in cœlis est, Matth. XIX. vers. 19. Et, si unus ju-  
 sti oratio plurimum valet, cum seria est, Jac. V. vers. 16. quan-  
 to validior erit oratio tot justorum, velut agmine facto in  
 Templis orantium, & junctis quasi viribus cœlos pulsan-  
 tium? Monet proinde S. Chrysostomus Homil. xxx. con-  
 tra eos, qui dicebant: Orare vel domi possumus. Te, ô  
 homo, decipis & magno in errore versaris: nam etsi domi  
 quoque datur orandi facultas, fieri tamen vix potest, ut do-  
 mi tam bene ores, quam in Ecclesia. Semper illud Apосто-  
 li au-

li auribus Christianorum insonet: *Congregationes nolite spernere.* Hinc ex veteri instituto mos adhuc perseverat, ut ægroti, moribundi, defuncti, prægnantes, novi sponsi non tantum domi suæ Deo se commendent, sed cum primis ad publicas in Templis preces, veluti ad sacram anchoram se se recipiant, rati, citius exauditum iri, quod multorum precibus flagitatur.

## XXIIX.

**A**Ntequam ab his Precum Locis h. à Templis abeamus, tria verbo notamus, 1. Non putarunt veteres Christiani Deum Templis includi, cum ad Tempia ordinarias suas preces detulerunt. Fuit illa Gentilium hæresis stauentium Deos ita Templis affixos, ut nisi in Templis coram idolis preces funderent, exaudiri se non posse crederent. Ita de Xerxe autor est Cicero, quod Græcorum Tempia ob impiam hanc opinionem inflammaverit, ægre ferens, Deos, quibus patere omnia debebant, quorumque totus hic mundus Templum sit, parietibus concludi. Aliam sententiam Christianorum fuisse supra ex Arnobio & Minutio Felice ostendimus. 2. Non putarunt antiqui, locum loco per se & quatuor sanctiorem esse, hoc est, quatenus forte hic vel iste locus sale benedicto, aqua lustrali, variis crucibus &c. ab Episcopo esset consecratus. Sequioris aevi doctrina est preces in eiusmodi locis fusas ex opere operato aliquid conferre. Hæc sunt ἐν τῷ ἁγίῳ ἀνδρῶν, mandata hominum, merè humani cultus, præter & contra Dei verbum, præter & contra doctrinam atque praxin veteris Ecclesiæ inducti. 3. Quod notandum duximus est de novis quibusdam precum locis juxta Tempia enatis, nim. de Domesticis oratoriis, sacellis, capellis & ædiculis sacris, è quarum in aulis principum & palatiis divitum frequentia labentibus seculis missæ

missæ ἀνοήτων vel Solitariae prodierunt. *Domestica oratoria* sunt quæ in domibus Concilium Trullanum appellat. Nicenum secundum τὸν ἀρχιεπίσκοπον ἐκκλησία. *Principum loca precum.* *Alia Capellas Palatinas*, quia proceres & Palatini in his locis orare consueverant, vocant. Talia *oratoriola* viri potentes & divites, sacrorum in Templis pertœsi juxta domos suas vel in hortis vel in prædiis & villis suis erigere. Altaribus, sacris vasis, imaginibus exornare, & precibus suis devovere, quin & Clericos vel ut vocabant *Clericellus* privato sumtu, ut preces pro patrefamilias ejusque familia & prædico funderent, ibidem enutrire solebant, fere non aliter quam gentiles sua *Lararia* vel *Sacraria domestica* habebant, quale erat *Lararium Alexandri Severi*, in quo *Cæsar* cum aliis Divos, tum *Christum* & *abrahamum* habuit, quibus omni mane, nisi cum conjugē cubasset, supplicabat, *Alio Lampridio* teste. Sed quia illa divitum Christianorum oratoriola sacris publicis in Templis frædi erant, concilia passim eorundem abrogationem urgent. Juvat audire unum Concilium Trullanum, cujus Canon. xxxi. hic est: Clericos, qui in Oratoriis, quæ sunt *intra domos*, ministrant vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere debere decernimus. Quare si quis Clericus hoc non observaverit, deponatur. Et iterum Canone lxx. *in Aede oratoria, quæ est intra domum*, baptismus nequaquam peragatur.

XXIX.

Superest, ut preces ad *LOCA SANCTA*, verbi gratia Hierosolymis ad Sepulchrum Domini, Romæ ad *Limna Apostolorum*, *Compostellis* ad *S. Iacobum*, *Loretum* in *Aede Lauretana*, *Ratisbonæ* ad *Mariam formosam*, & alibi olim; partim adhuc fundi solitas spectemus. Videtur autem omnium primo curiositas visendi loca *Palestina*, vesti-

gijs Domini calcata, tot miraculis illustrata & imprimis  
*sepulchrum Domini*, homines ad ea loca expulisse. Postea *pre-*  
*cum causa* adiri hæc loca ceperunt, quod existimaverint, ma-  
 jori cum devotione iis in locis orare se posse, in quibus  
 verbi gratia Sepulchrum Domini præsens oculis exhibere-  
 tur; Auctor est Eusebius Alexandrum, qui post S. Narcis-  
 sum Hierosolymis in cathedra sedit, in Palæstinam ob duos  
 fines abiisse, 1. ut ea loca videret, 2. ut ibidem oraret. lib.  
 vi. hist. Eccl. c. x. Proxima ab Alexandro est Helena, Con-  
 stantini Mater, quæ non tantum devotionis gratia in ter-  
 ram sanctam abiit, *precibus* ibidem operata, sed & duo ma-  
 gnificæ *Oratoria*, alterum prope specum *natiuitatis* Dominicæ,  
 alterum in *monte Olivæ* super vestigia Domini terræ impres-  
 sa, cum cœlos ascenderet, construxit. Secuti sunt pluri-  
 mi alii, de quibus S. Hieronymus: Longum foret nunc ab  
 ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas æ-  
 tates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui elo-  
 quentium virorum venerint Hierosolymam, putantes se  
 minus religionis, minus habere scientiæ, nec summam ut  
 dicitur, manum accepisse virtutum, *nisi in illis locis adorassent*  
*Christum*, de quibus primùm Evangelium ex patibulo coru-  
 scaverat, Epist. xvii. ad Marcellam. Videtur jam ea ætate  
 aliquid superstitionis peregrinantium precibus adhæsisse,  
 cum primis S. Hieronymus à puero locis sanctis delectatus  
 (quemadmodum etiã relicta Roma, Bethlehemi juxta  
 præsepe Domini substitit) precibus ad ea loca fuis addicti-  
 or fuit, quin & alicubi de iisdem excessive locutus: Ado-  
 rare, inquit, ubi pedes Domini steterunt, pars fidei est,  
 Epist. c. l. v. ad Desiderium, quem ad ea loca, orandi causa  
 invitat. Hoc Hieronymi dictum, si, ut jacet & sonat, ac-  
 cipere velis, quotusquisque inter ipsos Pontificios fidem  
 habe-

habebit integram? Prudentius de SS. Hemerico & Chelidonio:

Exteri nec non & Orbis Præcurrit proditrix,  
Huc colonus advenit: Hic Patronos esse mundi,  
Fama nam terras in omnes Qui precantes ambiant.

XXX.

**E**X quo Bonifacius IX. *Jubilæum* indixit, preces & itinera ad sepulchrum Domini rarefcere ceperunt, & Romam ad Apostolorum Limina translata sunt & majori precio fuerunt, ideo, quod ad hæc loca Romanus Pontifex *Indulgentias* liberali manu (non tamen omnino gratis) admittitur. Ne longe factorum exempla in hac causa petantur, nuper Innocentius X. in Bulla Jubilæi ante quinquennium habitæ Pœnitibus & vere confessis, qui durante Jubilæo Beatorum, Petri & Pauli Apostolorum Basilicas, Lateranensem & S. Mariæ majoris Ecclesias semel saltem quotidie per xxx. continuos vel intermissos dies, si Romani fuerint, vel per xv. dies, si fiterint exteri, devotè visitaverint, & in iisdem Templis pro fidelium & totius Christiani populi salute, pace & concordia pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium suorum peccatorum indulgentiam misericorditer concedit. Hæcira bulla. Quid verò hoc aliud est, quam preces loco affigere? Nam si extra Romam preces Deo perinde gratas fundere alibi sive publice in Templis, sive domi tuæ privatim possis, cui bono velis precum causa Romam abire? Sunt alias Romæ VII. *Templa Privilegiata*, in quibus Oratio fusa longe majorem vim ex sanctitate, si quæ sit, loci habere creditur, quam si ullibi toto terrarum orbe oraveris. Ex his Basilica lateranensis eminet, de qua Bonifacius Papa dicere ausus est. Si homines scirent indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, non opus esset, quod

quod irent per mare ad S. Sepulchrum, vel ad S. Iacobum.  
Et alibi: Si quis ad sedem nostram Lateranensem devotio-  
nis, orationis aut peregrinationis causa venerit, ille à pe-  
ccatis suis omnibus absolvetur, citante Chemnitio in exami-  
ne Conc. Trid. de Indulgentis.

## XXXI.

**P**ræterdit quidem precibus ad loca sancta habitis Bel-  
larminus divinam auctoritatem Vet. Test. in quo De-  
us instituerat, ut omnes filii Israël ter quotannis in ma-  
joribus festis ad Tabernaculum vel ad Templum, causa  
precum peregrinarentur. Deut. xvi. Sed valde impertinen-  
ter. Nam in Nov. Test. locorum illud discrimen cessat, nec  
ullibi locus est, ad quem Deus in Ecclesia cultum ado-  
rationis adstrinxerit, vel si fieri sunt Pontificii, tale Dei  
mandatum in N. Test. producant. Digna est audiri hoc  
loco Oratio Gregorii Nysseni vel quisquis auctor sit, in qua  
de precibus ad loca sancta egregie judicatur: Quid plus ha-  
biturus est, qui loca illa adit, puta Hierosolymam & in Pa-  
læstinam? Quasi vero Dominus in locis illis corporaliter  
adhuc degat, nec à nobis abierit, aut quasi Sp. Sanctus Hi-  
erosolymis abundet, & ad nos transire non possit. Atqui  
si ex iis, quæ videntur, Dei præsentiam æstimare licet, poti-  
us in Cappadocum natione Deum moram trahere aliquis  
statuerit, quam in externis locis. Nam quot sunt apud eos  
Altaria, juxta quæ nomen Dei celebratur. Deinde si in lo-  
cis Hierosolymitanis plus gratiæ inesset, illic viventium  
peccatum non tam frequens esset. Iam vero nullum est im-  
mundiciæ genus, quod ipsi non audeant, malitiæ, adulte-  
ria, veneficia, furta, idololatriæ, coedes, invidiæ &c. Hæc  
sub nomine Nysseni auctor non spernendus. Eadem de  
Precibus Romæ ad limina Apostolorum factis per omnia  
valent.



valent. Nec vero est, quod dicat Bellarminus, hæc solis Clericis ac Monachis, Hierosolymam precum causa olim abeuntibus dici, cum argumenta Auctoris simpliciter ad omnes spectent, qui Hierosolymis & in Palestina preces efficaciores, quam Nyssæ vel in Cappadocia fundi putabant. Eadem stat sententia S. Ambrosio, quam supra laudavimus: **NON LOCUS ORATIONEM COMMENDAT, SED DEVOTVS ANIMVS.** In cap. i. ad Rom. Benè Concilium Cabilonense II. sub Carolo Magno coactum, Canone XLV statuit: **A** quibusdam, qui Romam, Turonum vel alia loca sub orationis prætextu in consulte peragunt, plurimum erratur. Sunt Clerici, sunt & Laici, qui putant se impune peccare aut peccasse, quia *hæc loca orantur frequenter.* Sunt quidam potentum, qui acquirendi cæsus gratia sub prætextu Romani vel Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperes opprimunt, & quod sola cupiditate faciunt, *orationum causa* se facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem mendicandi materiam habeant, de quorum numero sunt Circumvagantes. — qui non attendunt illud Hieronymi: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est, de quibus omnibus, qualiter emendanda sint, Domini Imperatoris sententia expectetur. Hæc Cabilonenses. Scilicet, non longe abest Deus ab unoquoque nostrum, ut transalpinare, vel transfretare orationis causa non sit necesse. Sed hætenus **Loca Precum.**

exhibens

## TEMPORA PRECUM.

**A**postolorum ævo certa, à Deo definita vel legibus  
 diuinis sancita orandi tempora non erant.  
 Hinc Salvator parabolâ de vidua, iniqui Iudicis,  
 qui per multum temporis succurrere illi nolēbat,  
 opem assiduis precibus extorquente protulit, ut doceret  
 quod *semper orare & non deficere* nos oporteat Luc. xix. v. 1.  
 Eadem Apostolorum Doctrina est, è quibus Paulus 1. ad  
 Thess. v. vers. 17. *sine intermissione* orare iubet. Et Eph. vi.  
 v. 18. cum *πρωτολαλ* hominis Christiani adornauerat, tan-  
 dem per omnem orationem & obsecrationem *orare omni  
 tempore* in Spiritu & in precibus *vigilare instanter* præcipit.  
 His gemina docet S. Cyprianus in lib. de Oratione Domi-  
 nica: Nulla hora, inquit, Christianis excipitur, quo minus  
 semper Deus adorari debeat, nec ullum de nocturnis tene-  
 bris damnum orantibus esse potest, quia filijs lucis etiam in  
 noctibus dies est. Qui ergo in lumine, hoc est in Christo  
 semper sumus, nec noctibus ab Oratione cessemus. Nec  
 aliter S. Hilarius in Pl. Lxii. Non tantum Deus tum oran-  
 dus est, cum quæ timentur, ingruerint, sed *semper atque in-  
 defessis precibus* orandus est, ut etiam nos à timore eorum,  
 quorum dominatum timemus, eripiat. Huic orandi Re-  
 gulæ Veteres Christianos sese accommodasse, nullum est  
 dubium. Sed nullibi legimus ita tempus omne precibus il-  
 los impendisse, ut operas manuales aliaque ad hanc vitam  
 necessaria omittenda duxerint. Ex praxi igitur primitivæ  
 Ecclesiæ discimus, dicta illa de precibus *omni tempore* fun-  
 dendis Physice vel in rigore verborum accipi non debere.  
 Inde

Inde Casarius, ex Abbate Lerinensi Episcopus Arelarensis monet: Sic debetis Lectioni & Orationi incumbere, ut interdum etiam manibus aliquid possitis exercere, quod ejus dictum Venerabilis Beda Scintillis suis, hoc est, locis communibus inseruit Facera historiola inter vitas Patrum circa hanc rem de Monacho quopiam exstat, qui cum vitam omnem & nihil non temporis Precibus, lectionibus, meditationibus sacris destinasset, Abbas sacrum illi codicem dedit & cellulæ inclusit. Transit interea prandium, transit coena, fratre non vocato. Tandem famelicus ille cella exiens quasi vit, cur a nemine esset vocatus? respondit Abbas: Tu tempus omne precibus & sacris negotiis impendere decreveras. Nos igitur preces tuas tutbare nolimus. Tum frater agnito errore, *Ignosce Pater*, ait, qui ab Abbate talem orandi regulam didicit; Maria ad pedes Iesu Sacris operata partem quidem optimam elegit, sed propter Mariam etiam Martha de victu & rebus domesticis solita necessaria est. Inquit videlicet precibus in tempore ita vacandum, ut & alia quandoque negotia Vocationis, &c. huic vitæ necessaria trahes.

**S**ed quid interea de Præcepto Christi, Apostolorum, Patrum omni tempore orare jubentium fiet? Alij veterum mandatum de Sempet orando, de affectu orandi, quem in homine Christiano perpetuum esse oportet, exponunt, ut quantum per alios inevitabiles labores fieri potest, semper ad orandum pronus sis. Ita Gregorius Magnus lib. 1. expositionum in Samuel. c. 1. ubi de precibus Hanna agit, exponit: Orare sine intermissione est per affectum supplicationis Conditori semper assistere. Alij ad Horas Canonicas vel ad preces horarias, quas Reverenda An-

ti quitas constituit, alludi eximant. Ita Sedulius presbyter: Dicendum est, cum semper orare & non deficere, qui canonicis orationibus quotidie juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodijs precibusque consuetis Dominum laudare & rogare non desistit. Comment. in cap. 1. ad Romanos. Sic & Beda dictum Ps. cxi. v. 64. *Septies* in die laudem dixi Tibi, intelligit: Hoc, inquit, nihil aliud est, quam *Semper* laus ejus in ore meo. Et: Benedicam Domino *in omni tempore*. lib. v. in Luc. c. 17. Alij Oratio perennis, pia vita hominis Christiani dicitur: dicunt enim justum, quamdiu talis manet, *virtualiter* semper, etiam in somno orare. Hinc Beda l. c. subjungit: Aut certe omnia, quæ iustus secundum Deum gerit aut dicit, ad orationem reputanda sunt. Thomas, Scholæ Prædicantium Princeps illud I. ad Thess. v. vers. 17. Sine intermissione orate, ad vitam hominis justi sic applicat: Oratio est interpretatio desiderij nostri, quia quando aliquid desidero, orando illud peto. Vnde ratio definitur petitio decentium à Deo, ideoque desiderium nostrum vim orationis habet. Desiderium pauperis exaudivit Dominus. Omnia attem, quæ facimus, ex desiderio proveniunt. Ergo oratio in bonis, quæ facimus, manet in virtute, quia bona, quæ facimus, ex bono desiderio proveniunt. Vnde Glossa: *Non cessat orare, qui non cessat bene facere*. Hæc Thomas. Alij denique, quibus nos accedimus, semper orare eos censent, qui sæpius orant, in precibus frequentes sunt, vel quoties uspiam fert occasio, ad preces subinde redeunt: nam vox *semper* dupliciter accipi potest: semel *physice*, sicut cælum semper movetur; deinde *moraliter* sicut avarus semper opibus inhiat. Quod priori modo semper fit, nullum habet intervallum; quod posteriori, intervalla habet, sed ita ut subinde ad institutum

tum redeatur. Et sic *semper orare* dicitur, qui subinde ad preces redit, & sæpius orat, etiamsi dormiat aliquando, vel cum tempus est, comedat, aliosve necessarios labores subeat, docebante B. Horneio in Compend. Theol. lib. III. c. 9. §. 7.

## III.

**M**iretur forsitan aliquis, cur Deus sine intermissione, hoc est, iterum iterumque orare fideles suos iusserit, cum indigentia & necessitas nostra jam ante rectius illi constet, quam dici à nobis possit. Sed quemadmodum hymnos & gratias Deo agimus, non ut Deus inde commodo afficiatur, sed ut nos beneficiorum Dei memores bonitatem & potentiam Dei agnoscamus: ita frequenter orare non Deo expedit, sed *nobis*, ut spes nostra in Deo & bonorum celestium desiderium accrescat, quod nisi assiduis votis & indefessa prece, veluti ignis aura susciterur, facile tepescit, & tandem omnino deficit. Nec fieri aliter potest, quin qui vehementer aliquid amat aut sperat, frequenter illud optet. Igitur non cessare ab orando juxta multos nihil est aliud, quam per omnem vitam desiderare: ideoque cum homines pii semper desiderio celestium pleni, quicquid agunt, sive edant, sive bibant, sive dormiant, ad beatitudinem æternam dirigant, inde tota illorum vita perpetua est deprecatio. Ita Raphael preces Tobie vocat etiam elemosynas Tobie & beneficia defunctis præstita. Hanc tuam Orationem, ait Raphael, ego obtuli Domino. Sed quia facile negotijs secularibus & humanis curis nimium immergimur, in Sacris toties orare jubemur, ut mentem ad divina subinde relevemus. Denique etiam hoc nobis crebra oratio præstat, ut quod perimus, copiosius accipiamus, scribit Erasmus in libello, de modo orandi,

F 2

IV. Cir.



Circa hunc fidelium semper orandi morem absurdi o-  
 clim in veteri Ecclesia MESSALIANI fuerunt, qui de  
 Montani schola, ex Anthropomorphitis alijsque sectarijs  
 enati, in Syria Antiochiæ, Edeßæ & alibi in Oriente, se-  
 culo IV. famosi fuerunt. Hi inter alia sanatica dogmata  
 præceptum Domini de Semper orando crasse & physice ex-  
 ponebant, & tota vita nihil aliud homini fideli, quam præ-  
 ces tractandas statuebant. Vnde etiam dicti sunt Messaliani  
 à verbo Chaldaico vel Aramæo מַשַּׁלִּים quod apud Syros ora-  
 re vel precari significat. Exstat Dan. vii. v. 10. ubi de pro-  
 pheta dicitur, quod ter in die super genua fuerit positus  
 מַשַּׁלִּים & oraverit. Hinc pluralis participij Piel est מַשַּׁלִּים  
 mezallim, quos nostrina *εὐφωμίαι* Messalianos, Græci *εὐ-  
 χήτρις* à continuo orandi studio vocarunt Epiphanius à tem-  
 poribus Constantij Cæsaris facti A. Chr. cccxxxvii sectam  
 hanc in Panario suo derivat, Theodoretus ad ævum Valen-  
 tis & Valentiniani Cæsaris anno Ch. cccclxiv eosdem re-  
 fert. Existimo sub Constantio primum illos cepisse, sed  
 sub Valentiniano, Ecclesiæ calculo fuisse damnatos. Viden-  
 tur hæresin suam sub magna pietatis specie, cum assidui in  
 orando essent, occultasse, donec S. Flavianus Episcopus  
 Antiochenus perpiam fraudem ex veterano quodam Eu-  
 cheta hæresin eorundem eliceret: nam hunc senem sibi af-  
 fidere iussit Flavianus & blando sermone affatus dixit: O  
 bone, nos per multorum annorum experientiam fraudes  
 Daemonum, quas cæteri adolescentes ignorant, abunde  
 didicimus, dic igitur mihi, quibus medijs vos Dæmones  
 pelleret & gratiam Sp. Sancti obrinere possitis? His ver-  
 bis delibutus senex, nihil ad eam rem conferre baptismum  
 sed *solis precibus* domesticos Dæmones abigi professus est.

nec

nec nisi precibus Sp. Sanctum conferti, quo indepto hominem jugi orationi vacantem eo deduci, ut SS. Trinitatem coram spectet. His auditis Flaviantus! Tuum os te arguit, ait. Et ab illo tempore speciali nomine apud Syros Messaliani, apud Græcos Euchetæ dicti sunt. Detecta hæresi, exules facti in Pamphyliam abierunt eamque nugatorijs suis precibus itidem infecerunt.

## V.

**D**ogmata *Ευχητων* Theodoretus, è quo priora desumptimus, hæc refert. Docebant Messaliani, plures esse Deos, sed unum ex his adorandum. 2. Baptismum instar novacula esse: sicut enim novacula pilos quidem abscindit, sed non impedit, quo minus recrescant, ita abebant, baptismus præteritis peccatis medicinam affert, sed à futuris non præcavet. Docebant tertio per solas Precès, non per Verbum & Sacramenta) animum à domestico Dæmone, quem cuiusvis mortaliu(m) peculiarem assignabant, expurgari. 4. Ad præces suas, à quibus spem omnem salutis suspendebant, spectabili forma SS. Trinitatem adesse, quam oculis corporum intuerentur. Meminit S. Augustinus, docuisse illos, suam cum porcellis ore exire & ejus loco visibilem ignem, qui sit symbolum Sp. Sancti, intrare. Mores habebant Phrenericis haud absimiles: nunc enim digitis micare vel gesticulari solebant, gloriari se eosdem in Dæmonem evibrare, nunc pedibus mirè saltabant, dicentes, se eo ritu Dæmonibus insultare. Somnia sua Dei revelationes vocabant, & inter dormiendum mirabiles *μεταμορφώσεις* somniabant. Unde dicti sunt *Enthusiastæ* hoc est, Arreptinij, vel nescio quo Numine correpti. Subdividebantur in varias sectas. Alij erant *Euphemiani*, qui *ταῖς ἰοφηταῖς*, hoc est, certa quædam eloquia ex sacris literis decerpta in Dei cultum canebant. Alij

*Marty-*

*Martyriani*, quod Martyres inter ipsos religiosi precibus colerent, vel quod persecutiones suas, cum Lytoius gubernator Ecclesiae Melitenae oratoria ipsorum incenderat, *Martyria* vocarent alij *Otiosi* quod operas manuales precum causa negligerent. Alij *Sataniani* dicebantur, quod certis precum formulis Satanam ipsum, ne noceret, dignarentur. Vide Theodoretum lib. iv. haeticarum fabularum, & S. Augustinum ad Quodvultdeum c. 57.

## VI.

COMMUNIS horum omnium erat doctrina ex sola precibus salutis dependere, & nihil non temporis precibus impendendum: Tantum enim orant (verba S. Augustini sunt) ut ijs qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit: Oportet semper orare & non deficere: Et Apostolus: Sine intermissione orare (quod sanissime sic accipitur, ut nullo die certa orandi tempora intermittantur) isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicentur inter haeticos numerandi. Hac Augustinus in eodem haesiam libello. Sed spectet aliquis hodie monachos Mendicantes in Papatuannon Euchetas redi vivos facile existimet? Sicut enim Euchetae otio torpebant, eique continuas suas preces, à quibus per conscientiam feriari sibi non liceret, prætexere solebant, cum tamen vel cibus, vel potus, vel somnus, vel saltem tussis, sternutatio, oscitatio &c. ipsorum orandi tempora interruperit: ita hodie mendicantes in pingui suo otio tempus omne precibus pro suis benefactoribus impendi vane gloriantur. Sicut Euchetae in precibus suis perpetuis spem promerendae salutis aeternae collocabant: ita hodierni monachi in Papatu preces suas canonicas & missas adeo meritorias faciunt, ut alijs super erogare de precum suarum merito se



to se posse gloriantur. Apud Euchetas is, qui plurimos psalmos evolverat, cœteris habebatur sanctior, ita in Patu, Monachi præsertim, ad rosaria vel globulos preces suas Deo adnumerant, & in numero illo precum sanctimoniam collocant.

## VII.

**A**lium Semper orandi modum *Acœmeta* tenuerunt, ab Ecclesia non improbatum. Horum auctor vulgo Studius, vel Clariss. creditur circa Annum Chr./cccclix, à quo etiam *Studiæ* dicti sunt. Nicephorus de his ita scribit: Gennadii Episcopatus tempore, Studius Vir præclarus Româ Constantinopolin venit, & Templum S. Præcursori erexit, in quod monachos ex domicilio eorum, qui *Ανοίητοι* dicuntur, hoc est, Insomnes induxit. Horum domicilium divinissimus Marcellus (Baronius Alexandro, Marcelli magistro eam laudem vendicat) construxerat, in quo perpetuis carminibus nunquam non hymni canebantur, sodalitate monachorum ob eam rem in tres cœtus divisa. Lib. xv. Eccles. c. 23. Equibus verbis patet jam ante Studium monachos illos Insomnes fuisse, sed Studium primum exstitisse, qui ex domo Marcelli eductos in Templum S. Iohannis à se Constantinopoli erectum intulit. *Studiæ* igitur dicuntur, non quod autor ordinis sit Studius, sed quod à Studio in publicam ædem fuerint inducti, & liberali eiusdem manu ibidem enutriti. *Ανοίητοι* Insomnes ideo vocantur, quod per noctem æque ac de die indefesso labore precibus & hymnis insisterint non simul ac semel omnes, sed successive, ob quem finem in tres cœtus divisos Nicephorus scribit, ut quilibet cœtus tempore vicis suæ sive nocturno sive diurno sacris exercitiis instaret. Lapsu Seculorum hi ad orandum indefessi monachi in hæresin Nestorianam

G

rianam condemnati sunt (quo jure quave injuria, nunc non disputo) quod negarent unum de Trinitate crucifixum, veriti fortassis, ne Trinitas crucifixa vel divinitas passiva doceretur: hac verò loquendi formula; *Unus de Trinitate crucifixus est*, Hormisdam Pontificem movit, ut monachos Scythiæ ita locutos pro Eutychianis declararet, licet postea Iohannes II Acœmetas pro Nestorianis haberit, quod formulam eandem non admitterent, uno horum Pontificum infallibiliter errante. Sed hæc obiter. Seculo demum IX Acœmetarum Ordinem ad incitas fere redactum Theodorus, qui propterea *Studita* cognominari solet, restituit, conditis variis vivendi regulis & orandi formulis & variis pœnis canonicis in monachos, si qui horum ad preces nocturnas tardius surgerent vel diurnas quoq; perfuntorie tractarent, vel aliis modis delinquerent. Vide, si placet, Baronium tom. IX Annal. Eccl. Anno Christi 820.

IIX.

**R**elictis *Enchetis & Insomnibus* jam in specie videamus, quænam precibus tempora antiqui statuerint. Post medium quarti seculi certos dies precum & certas orandi horas fuisse ex historia Juliani Apostata constat, qui Christianos ad idololatriam seducturus sacra Gentilium iisdem ritibus cum ecclesiasticis, & stas precum horis adornavit. Iuvat ex Sozomeno propter studiosos Sacrarum Antiquitatum hanc Apostata *νομοθεσιαν* referre: Cum existimaret, Julianus religionem Christianam ex vita & moribus eorum, qui eam sequerentur maxime commendari, instituit delubra Gentilium Christianæ religionis apparatus & ordine adornare, iisdem subelliis & primariis sedibus, doctoribus & lectoribus Gentilis doctrinæ, quin etiam *precibus in certas horas die q. prescriptis*, monasteriis item virorum &



& mulierum, qui studio sapientiæ se dicaverant, collegijs etiam peregrino. um & Prochodochijs, eadem denique in egenos liberalitate religionem ethnicam nobilitare voluit; porro peccatis juxta Christianorum consuetudinem post penitentiam satisfactiones constituit. Dicitur præterea imitatus formulas literarum Episcopaliũ (Formatas intelligit) quibus se invicem de peregrinis certiores facere solebant — quæ cum instituerat, sedulo dabat operam, ut gentiles iisdem institutis assuescerent. lib. v. hist. Eccles. c. 15. Locum integrum produximus, quod varij Christianorum mores cognosci inde possint. Tempora quædam precum etiam Clemens Alexandrinus, qui tertio seculo inunte floruit, meminit : Univerſa ejus (inquit) qui cognitione præditus est, vita veluti celebris & sanctus dies festus est, atque ei quidem sacrificia sunt preces & laudes, quæ ante cibum sunt, scripturarum lectiones : psalmi autem & hymni, dum cibus sumitur, & antequam cubitum eatur, quin & noctu rursus Orationes habentur. Lib. ultimo Stromatum. Plura precum tempora S. Hieronymus commendat : *Nec cibi, ait, sumantur, nisi oratione præmissa, nec recedatur à mensa, nisi Creatori referatur gratia. Noctibus bis terque surgendum & evolvenda, quæ de scripturis memoriter tenemus. Eredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequam sessio; nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur.* Hieron. in Ep. ad Eustachium.

IX.

Preces matutinas & vespertinas Origenes lib. iii. Comment. in Iobum commendat; De iisdem S. Cyrillus Hierosolymitanus: Frequenter ora. ait, ut Deus Te dignum efficiat, neque *incedu* neque noctu sis otiosus, & cum somnus



ab oculis tuis recesserit, tunc mens orationi vacet. In Præfatione Catechesium. Eadem orandi rempora mane & vesperti Clemens Romanus, vel quisquis auctor sit Constitutionum Apostolicarum statuit, cum Iacobum fratrem Domini ita loquentem inducit: *Vesperti* ò Episcopo, congregabis Ecclesiam, & dicto nocturno psalmo orabit diaconus pro Catechumenis & Energumenis, pro Illuminandis & Pœnitentibus. Quibus dimissis diaconus dicit: *Nos fideles oremus Dominum.* Subjungit quoque formulam orationis vespertinæ & nocturnæ gratularum actionis, in qua Deum, qui diem fecit propter opera lucis, & noctem ad requiem imbecillitatis nostræ; Deum, cujus est dies & nox, qui præparavit lucem (Lunam) & solem, deprecatur, ut vespertinas gratias suscipiat. Qui nos traducis (habet orandi formulam) per longitudinem diei, & perducis ad initium noctis, præbe vesperam patificam & noctem sine peccato, & fac nos dignos vita æterna per Christum Lib. iij. Constit. Apost. cap. 41. Quin & libro præcedenti vii. Cap. 47. formulam matutinæ precis, & c. 48. formulam vespertinæ orationis tradit. Eodem modo Basilius Magnus morem Christianis fuisse refert primordia noctis precibus excipiendi: Visum est, ait, Patribus nostris beneficium vespertini luminis non silentio suscipere, sed statim ut apparuit, gratias agere. Ad Amphilochium de Spiritu S. c. 29. Sed de precibus veterum matutinis & vespertinis infra pluribus, inter Horas Canonicas.

## X.

**T**empore Prandii vel Cæna mos orandi ab omnibus retro seculis vulgarissimus exiit ad exemplum Christi, cui solenne erat pani & reliquo cibo, oculis in cœlum sublatis benedicere, antequam frangeret & inter Apostolos distribuere.

bueret. Marc. ix. v. 6. præcepit turbæ, ut humi discumberent, & acceptis septem panibus *gratias egit*, fregit deditque discipulis. Similiter paucos pisciculos, cum *benedixerat*, apponi iussit. Matth. xiv. v. 19. cum iusserat turbam per gramina discumbere, accepit quinque panes cum duobus pisciculis & *asciendens in cælum benedixit*, fregit, distribuit. Iterum Matth. xxvi. 5. eodem, in ultima cœna cum Eucharistiam conderet, accepit panem, *benedixit* & fregit deditque discipulis dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Dein accepto calice post cœnam *gratias* itidem *egit*, &c. tandem dicto hymno in hortum abierunt. Sic & in hospitio Emauntico Luc. xxiv. vers. 30. *ex precibus* & panis fractione in cœna agnitus est. Eundem magistri sui morem Apostoli sancte tenuerunt. Hinc Paulus I ad Timoth. iv. vers. 4. *cibos per preces sanctificari* docet, ideoque cum gratiarum actione sumere iubet. Patres plerique morem fidelium orandi ad prandium vel ad cœnam ab exemplo Christi derivant, sed mos ille Iudæos inter & inter Gentes æque viguit. Iudæi inter tria aurea inventa Mosis *Benedictionem tibi* recensent. In illud Deut. ix. Cum comedis & satiatis fueris, benedic Domino Deo tuo pro opima terra, quam dedit tibi: Rabbini, multa cum de aliis ritibus in sumendo cibo, tum de precibus ad mensam fundendis commentantur. Quibus precibus Agnum Paschalem comederint, propter institutionem Eucharistiæ studiosos novisse forsan ex usu est. Refert eandem Scaliger lib. vi. de Emendatione temporum.

XI.

**E**thnicis quoque morem Deos ad mensam invocandi fuisse, Plato in Symposio suo docet, ubi statim, atque Sociates accubuit, hymnus canitur. Naucratis in usu erat,

rat, quoties epulas solennes agerent, ut post accubitum in triclinio minister genibus flexis preces patrias recitaret, teste Athenæo lib. iv. Præclare cum primis Diogenes ille Pythagoricus præcipit, ut Deus in initio prandij vel cœnæ invocetur, non quod Deus precibus illis egeat, sed ut quisque Dei recordatus, animo composito edat. Quin & moris erat iisdem, ut in mensa Dei alicujus simulacrum, quem *Θεὸν Ἀναπαρέσιον* vocabant, exponerent, ut in conspectu Numinis se comedere meminissent. Pudendum igitur est inter Christianos olim repertos, qui nec in initio nec sub finem cœnæ orarunt, de quibus est querela S. Chrystostomi Homil. in Marth. lvi. Quam devote alias ad mensales preces primi Christiani fuerint, ex eorundem Agapis constat, de quibus ita scribit Tertull. *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur.* — Post aquam manualem & lumina, ut quisque de sacris scripturis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Aque oratio convivium dirimit. In Apologetico c. 29. Clementem supra audivimus preces ante cibum, hymnos in sumptione cibi, gratias post cibos commendantem, ut & S. Hieronymum sine precibus cibos sumere prohibentem. Vid. Th. lix.

XII.

**T**empore *Calamitarum* preces & lacrymæ semper fuerunt arma Ecclesiæ, quod orandi tempus ex naturæ quasi instinctu apud omnes populos sæctas & religiones observatum esse Sacra & Civilis historia abundè docet. Deus ipse sic iusserat: *Invoca me in die tribulationis & eruam te* Psal. l. v. 15. Esaias morem Israëliticæ Ecclesiæ eundem refert: *Domine in angustiis requirunt Te; preces suas effundunt, quoties Tu eos corripis* Esa. xxvi. v. 16. *Cum Israëlita*

tæ à Palæstinis aliisque gentibus subjugarentur, solenne il-  
 lis erat clamare ad Dominum & Dominus salvatores illis  
 dabat. Iud. III. v. 9. Davidem tempore afflictionum orasse  
 ex psalterio ejus nemo nescit. Inveni, ait, tribulationem,  
 sed invocavi nomen Domini. Ps. cxvi. v. 4. Oborta tempe-  
 state in mari propter Ionam à Dei facie profugum, timue-  
 runt nauta & singuli Deos suos invocarunt. Ion. i. v. 5. Cum  
 panoletria populo Iudaico immineret, Rege Ahasvero,  
 Regina Esther ad jejunia & preces cum popularibus suis  
 omnibus conversa est. Discipuli in maris periculo positi  
 hanc precatiunculam ingeminant: Domine salva nos,  
 quia perimus. Egrotos omnes, quos Christus restituit,  
 crux domestica ad Christi opem implorandam duxit. In  
 Ecclesia idem precum tempus fuisse exemplis ostende-  
 mus. Cæsare Marco cum in bello contra Quados in Germa-  
 nia suscepto exercitus Romanus ab hostibus conclusus  
 in aridis locis sub sole calidissimo ageret, & siti pereundum  
 omnibus esset, Legio Christianorum militum in nomine  
 Domini coiens, positis genibus, rebus desperatis preces  
 ad Deum habuit, quibus imber optatissimus successit, un-  
 de sitim Romani restinguerent, simulque tempestas secu-  
 ta est, quæ Barbaros in fugam coniecit, de quibus tum fa-  
 ctis precibus Tertullianus: Marcus Aurelius, inquit, in  
 Germanica expeditione orationibus Christianorum mi-  
 litum ad Deum factis imbres obtinuit. Dicta hinc est legio  
 ista *Fulminatrix*.

XIII.

**S**ub Theodosio Juniore cum vasti terræ motus Constan-  
 tinopolin concuterent, & cives extra urbem in campo  
 agerent, ad preces undique concursus est, fuitque salus  
 urbis Deo commendata, Proclo Episcopo verba præcun-  
 te,

te. Die quadam cum horrendum terra tremere, populus ardentius incessabili voce conclamabat: κτύπος ἐλέησον, testibus Paulo Diacono l. xiv. & Nicephoro lib. xiv. ca. 46. Cum Romæ pestis adeò dira grassaretur, ut vel sternutando & oscitando homines animam efflarent (unde alii morem natum existimant salutandi sternutantes, vel cruce nos signandi, cum oscitamus, ait Durandus lib. vi. Rationalis de Rogationibus) Gregorius Magnus celebres illas *Litaniaseptiformes* h. est preces publicas ad Deum exorandum composuit. Sed tanta fuit illius pestis atrocitas, ut unius horæ spacio ex prodeuntibus, & luctuosas preces ingeminantibus centibus octuaginta homines mortui conciderint. Vide Paulum Diaconum lib. iiii. de rebus Lombardicis c. ii. Imo omnes veterum *Litania* è publicis calamitatibus oriundæ sunt. Auctor est Platina ab Adeodato crebras supplicationes (*Λιτανείαι*) habitas fuisse, cum per tres menses Cometa apparuerat, & horrenda tempestas, assiduæ pluvix, magna tonitrua, qualia nunquam antea innotuerant, homines percellerent: Ita ergo jam patet, tempore famis & fitis, tempore terræ motuum, tempore pestis, tempore tempestatum & alias in calamitatibus qua publicis, qua privatis preces in Vet. Ecclesia afflictorum asylo existisse.

## XIV.

Solenne porro erat belli Ducibus adeoque ipsis Imperatoribus eo tempore, quo bellum vel prælium imminabat, instanter orare. Primus Cæsarum Christianorum, Constantinus M. antequam prælium iniret, Deum Cælorum ejusque Verbum, omnium Salvatorem, Jesum Christum PRECIBVS INVOCABAT. Orabat autem, ut Romanis libertas, quam à progenitoribus habuerant, assereretur. Interim Maxentius Anticæsar magicis artibus confi-



confusus ne extra portas quidem urbis progredi audebat, dicente Eusebio l. ix. hist. Eccl. c. 9. Theodosius Senior cum ad bellum contra Eugenium sese præpararet (vixit sub finem IV. seculi) non tam armorum, quàm jejuniorum & orationum subsidiis, nec tam excubiarum vigiliis, quam orationum pernoctatione erat munitus, scribit Rufinus l. ii. hist. Eccl. c. 33. S. Augustinus cum retulisset, quomodo de hostibus suis decuplo fortioribus per noctans pridie pugnae in oratione victoriam amplissimam reportasset, inter alia sic ait: Contra hostium exercitum robustissimum orando magis, quàm feriendo pugnavit. Lib. v. de Civ. Dei c. 26. Heraclius Imperator frequentibus supplicationibus jejunia atque orationes addens, Chosroem Persarum regem, etsi viribus multo inferior duobus maximis præliis invasit & debellavit, teste Blondol. 9. dec. 1. Cent. 7. De Maselceto, Africae comite legimus, quod ad bellum iturus inter eremitas & sacerdotes medius orans per orationes sic se aliquando muniverit, ut cum quinque millibus hominum Gildonem fratrem octoginta millia pugnatorum ducentè vicerit. Ita ergo Ducum belli in Veteri Ecclesia mos fuit prælii primordia, ut & exitum Deo per preces commendare. Mosen, Populi Israelitici ductorem hideo voti Principes secuti videntur. Is enim manibus elevatis in cacumine montis Deum orabat, dum Israel contra Amalekitas pugnaret. Ex: xvii. ii. Quicquid de eo sit, dignum est hoc veterum in Armis orandi studium, quod hodiernis militibus eorumque ducibus debebat esse exemplo. Et ut cum veteribus recentia connectam, notorium est illustre orandi Studium Serenissimi Principis ac DN. DN. GEORGI, Ducis Brunovic. & Lüneb. æterna memoria dignissimi, qui quotidie temporis plurimum precibus impendere

H

& in



& in Templo æque ac in Aula expeditiones suas omnes Domino Dominantium devota prece committere, in publicis precibus primus & novissimus interesse, nec ante ab Oratorio discedere, quàm sacris omnibus finitis, consueverat. Inde tot Victoriis in nupero Germaniæ bello inclutum Ducem Opt. Max. Deus reddidit. Videatur Concio Funebris pl. Rev. Dn. D. Gesenii. pag. 29.

## XV.

**C**assianus in Collatione X. quàm Abbas Isaac de perpetua orationis atque incessabili jugitate habuit, cap. x. non tantùm varia precum tempora, sed & hanc orandi formulam commendat: **DEVS IN ADJUTORIVM MEVM INTENDE, DOMINE, AD ADJUVANDVM ME FËSTINA.** Hæc pietatis formula, inquit, inseparabiliter vobis erit proposita, quàm orare debetis. 1. Tempore *Tentationis*, si quàm dæmon excitet, quia tentatis hæc oratio inexpugnabilis murus, impenetrabilis lorica, munitissimus est clypeus. 2. Tempore *Tristium*, quia ostendit, Deum è suis supplicibus non abesse. 3. Tempore *Gaudiorum*: nam qui semper desiderat adjuvari, manifestat, quod non tantum in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis & lætis, Deo adjutore egeat. 4. Cum *Gastrimargia* caput exerit v. g. cum lauta fercula appetimus, vel horam refectioi destinatam anticiparent religiosi, vel jejuniorum pertæsi essent. 5. Ad *mensam*, cum legitima refectioi hora præsto est. 6. *Somno ingruente*, cum lectioi insistere amplius nequis, cum somnus faciem tuam ad sacrâ paginam allidit &c. 7. *Orandum me net somno recedente.* Sublato, inquit, ab oculis meis sopore, cum omnem à palpebris meis refectioem nocturnæ quietis exclusam video, orandum est mihi: **Deus in adiutorium meum &c.** 8. *Cum caro in vitiorum lucta*  
titil-

titillat, & ad libidinem provocat. 9. Cum *Donum Continentiæ* perpetuum nobis esse volumus, orandum est, ne genitalis fervor membris denuo se ingerat. 10. quando *stimulis affectuum*, iræ, philargyriæ, cenodoxiæ, superbiæ, acediæ compungimur, orandum est, ne hæc prava suggestio prævaleat. 11. Cum *nocturni terrores* dæmonum nos exagitant, orandum est, ne phantasmata immundorum spirituum nos inquietent. &c.

## XVI.

**H**ujus versiculi Oratio, pergit Cassianus, *in adversis uterumur, in prosperis, ut servemur, ne extollamur, incessabili jugitate fundenda est.*—Hanc precem *in opere qualibet* seu ministerio vel *in itinere* constitutus decantare ne desinas. Hanc precem & *dormiens & reficiens & in ultimis naturæ necessitatibus* meditare. —Has preces meditati tibi *somnus* obrepat, donec incessabili exercitio etiam *per soporem* eandem canere consuecas. Hæc Oratio tibi *expergefacto* primum occurrit — & de tuo *cubili* surgentem curationi genuum tradat. Hæc te *omni tempore* prosequatur, hanc mediteris *sedens in domo & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*; Scribes eandem *in limine & ianuis oris tui, in parietibus domus tuæ, & in penetrabilibus tui pectoris collocabis.* Ad omnes usus vitæ necessarios fiat jugis & erecta Oratio. Hæc ita Cassianus, quibus dum certam orandi formulam nullo non tempore fundendam commendat, varia apud veteres Precum Tempora, multiplicem ansam orandi, nec pauciora precum Loca simul præclare ostendit, unde vides cum quanto studio noctu & interdiu, mane & vesperi, ante & post mensam, domi fortisque in qualibet necessitate prisca oraverint. Morem quoque fuisse ad limina, parietes & postes domuum preces figendi hinc discis,

PRECES IN HORA MORTIS.

ut Oratio ob oculos assidue versaretur, quemadmodum etiam S. Augustinum de Psalmis Pœnitentialibus fecisse The- si seq. referemus. Quid? assidua oratio in Vet. Eccl. boni Christiani *τοκμήριον* erat, docente S. Chrystostomo: Cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis in animo habere. Rursus ubi quem conspexero insatiabiliter adhærentem cultui divino idque in lummis damnis numerantem, si non continuo oraverit, conjecto talem omnis virtutis firmum esse mediatorum ac Dei Templum. Etenim si vestitus, si pedum incessus, si risus dentium declarat: qualis quisque sit; multo magis deprecatio signum est totius justitiæ, virtutis, pietatis. Hæc ex re & vero S. Chrystostomus l. II. de Orando Deum, unde quantus orandi fervor & quo olim loco preces habitæ fuerint, patet. Deum immortalem! quid dicturi essent veteres, si nostræ ætatis in precibus teporem, stuporem, languorem spectassent?

XVII.

In primis antiquos *imminente hora mortis* preces maxime serias, suspiriis & singultibus interruptas edidisse legimus, ad exemplum Christi orantis in horto Gethsemanes, & ita ibi agonizantis, ut loco sudoris grumi sanguinis deciderent. *Pater*, orabat, *si possibile est transeat à me calix iste*: Et cum in cruce jamjam mori debuit, deprecationes & supplicationes cum valido clamore & lacrymis ei obtulit, qui salvare illum à morte poterat. Ebr. v. vers. 7. *Pater, æquebat, in manus tuas commendo spiritum meum*; quæ oratio Domini veteribus adeo cara existit, ut iisdem precibus immo- ri desideraverint. Hinc Auctor antiquus, qui contemplationes suas sanè haud spernendas Dionysio Areopagita tribuit,

bñit, optat: *Ultimum Domini verbum in cruce, sit & ultimum  
 meum in hac luce!* Protomartyr eadem hora, qua lapidan-  
 dus erat, orabat: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum* Act. vii.  
 v. 59. S. Polycarpus Martyrii Candidatus jam jam rogo im-  
 ponendus & flammis ustulandus has preces elegantissimas  
 concepit: *O Pater dilecti Filii Tui Iesu Christi, ago Tibi gratias,  
 quod me hoc die & hac hora consortii Martyrum tuorum & poculi  
 Christi ad resurrectionem vite aeternae per immortalem virtutem  
 Spiritus S. participem fieri dignaris, inter quos Martyres ut in  
 conspectu tuo tanquam pinguis hostia admittar, rogo &c.* Addit  
 Eusebius, qui preces illas recenset lib. iv. hist. cap. 15. cum  
 Amen precibus suis apponeret Vir Sanctus, ministros im-  
 posito Martyre rogam accendisse. S. Augustinus Hip-  
 ponensium Antistes ad extrema deductus paulo ante obi-  
 tum vii Psalmos *Pœnitentiales ad parietes letalis lectuli omnes  
 describi fecit: quos, inter ardentis preces & continuas  
 lacrymas quotidie, donec obiit, legendo absolvit, teste  
 Polydonio in ejus vita.* S. Ambrosius eodem tempore,  
 quo à nobis (verba Paulini sunt in Vita Ambrosij) ad Do-  
 minum emigravit, ab hora circiter xi. diei usque ad illam  
 horam, qua spiritum emisit, *expansis manibus sub forma crucis  
 oravit.* Nos labia illius moveri conspeximus, sed vocem  
 audire non poteramus. S. Eligius Episcopus Noviomen-  
 sis morti vicinus oculis manibusq; in coelum sublatis diu  
 labijs immotis precabatur, tandem in *cygneum canticum*  
 prorupit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace* (quas  
 preces prisci quod sub finem missæ dicerent *Dorotheus* vel  
*dimissarias* vocarunt) *Memento Domine, quod sicut larvam fece-  
 ris me, & ne in ira in iudicium cum servo tuo. Memento mei, qui sa-  
 lus sine peccato es, Christe, mundi redemptor, & de morte hujus  
 corporis educe &c.* Sorores S. Dorotheæ Virginis cum ad i-

H

gnem

gnem erant condemnata; concordēs præcabantur: *Domi-  
ne Iesu, penitentiam nostram suscipe & gratiam tuam exhibe, &c.*  
ste Wicelio in Choro Sanctorum lib. II. c. 9.

## XIIIX.

**I**Nvenias præterea certos eosque *integros dies* precibus in  
veteri Ecclesia impensos. Hinc Cassianus lib. III. de Ca-  
nonico diurnarum precum modo cap. 2. Monachos Aegy-  
pti laudat, quod cum *alij certas horas, hi integros saepe dies*  
precibus tribuant, & *inter ipsos manuum labores* orare non  
cessent. Tales dies precum in Vet. Ecclesia erant omnes *je-  
juniorum dies*. Nam inter jejunia & preces veterum indisso-  
lubilis erat nexus, Vnde ab antiquis jejunia & eleemosynæ  
*Alia precum* dicuntur, sed ea de re inferius, ubi modum o-  
randi trademus. Dies itaque precum fuerunt verbi gr. *Dies*  
*Quatuor Temporum*, quibus Deo annum cum singulis suis  
partibus per preces devovebant, quod institutum vulgo ad  
tempora Calixti Papæ anno Chr. CCXIX reduci solet. Vnde  
in nostris adhuc Ecclesiis dicuntur *Buß-/Fast- und Bettage*.  
Tales precum dies erant in *Quadragesima* veterum quibus  
pœnitentes Deo & Ecclesiæ deprecari & publicè *Exomolo-  
gesin* suam præstare, hoc est, ut Tertullianus eam describit,  
*Jejunis preces alere*, ingemiscere, lacrymari, noctu & inter-  
diu ad Dominum mugire, presbyteris advolvi, caris Dei  
adgeniculari, fratribus omnibus legatione deprecationis  
suae injungere solebant. In lib. de pœnitentia. De preci-  
bus per Quadragesimam frequentatis luculentus testis est  
Micrologus de Observ. Ecclesiasticis: Orationem, ait, su-  
per populum in Quadragesima ideo frequentamus, quia  
tunc temporis, cum majorem conflictum in *Jejunis & pre-  
cibus* contra Diabolum suscipimus, necessario nos instan-  
tius Deo commendare debemus; nam Oratio post com-  
munio-

in unionem pro solis communicantibus solet fieri. Populus autem etsi quotidie in Quadragesima conveniat, non tamen quotidie ut deberet, communicat. Ne ergo populus precibus careat, ut communione, preces super populum in Quadragesima frequentantur. Nunquam vero Christiani toto propemodum anno ad orandum magis devoti fuerunt, quam in Magna Hebdomada. Hinc Auctor Constitutionum Apostolicarum c. xii. per S. Paschæ hebdomada omnes, nemine excepto, jejunare, cumque timore & tremore orare pro iis, qui pereunt, mandat. Epiphanius hæresi lxxv. docet, precibus in magna hebdomada humidormitiones, continentiam (quod vocabant *vivere in casto*) castigaciones, Xerophagias, vigilijs adjectas.

## X I X.

**A** Precibus Quadragesimalibus ad *Dies Rogationum* peragimus, quos Ecelesiastici scriptores *Litanijs* vocant. De eorundem Origine Alcimi Aviti, Episcopi Viennensis, qui post Efygium Mamercio successit, Homilia existat, in qua hæc habentur: Circa annum Christi cccxlvj. Vienna in Gallia fragores nocturni, incendi crebra, horribiles terræ subsultus metum haud levem civibus omnibus incusserant, Feræ sylvestres, natura alias pavidæ, ut sunt lepores & cervi, portas urbis ingressæ, in foro inter numerosos hominum cœtus ambularunt, dubio relicto, num spectra essent, an veræ bestiæ? Fuit in istis terroribus Vienna civitas ad noctem usque Paschalis pervigilii, quo spem terrefacti conceperant per Dei gratiam fore, ut meru omni soluto inter publica gaudia Paschæ diem agerent. Aderat Nox sancta Paschæ prævia ex antiquo more precibus & hymnis in Templo transigenda. Ibi vero tempestas otitur longe gravior, terra horrendum concutitur, crebri ex aëre ignes  
qui-

quibus arx ipsa in cineres soluta est, pristinos terrores cum insigni auctario renovant. Intempesta nocte ad extinguendam flammam undique concurritur, evacuatur Templum, omnibus ad salvandas domos facultatesq; suas abeuntibus. Solus Mamercus Episcopus erecta in Deum fiducia *juxta altare dominicum* perstitit, positisque genibus inter preces & lacrymas suam civiumque calamitatem Deo Salvatori commendavit. Quid sit? Ad preces illas Mamerci coelum detonuit, ignis subdidit, terra quievit, civitas tota Mamerci precibus vindicata ad Templum recurrit & Mamercus Episcopo auspice, accensis luminibus (quia nox erat) in Dei laudem hymnos & gratias cecinit: Hujus insperatae salutis memoriam Mamercus Episcopus apud Viennenses suos in Gallia perennem esse voluit, ideoque Dies Rogationum primus condidit. Interim ne Paschale gaudium *lugubribus litanis* turbaretur (nam per hos dies, scribit Sidonius epist. iv. in Ecclesia oratur & jejunatur, psallitur & fletur) placuit antiquis, Dies Rogationum de festo Paschatis in triduum illud transferre, quod inter Dominicam Rogate; & Festum ascensionis interjacet. Homiliam illam Aviti apud Gregorium Turonensem lib. ii. c. 34. invenies. Non diu post consuetudo per illud triduum supplicandi Deo ad caeteras Galliarum Ecclesias & inde per universam Ecclesiam Latinam sese diffudit. Mantuanus:

Hinc traxit *Litania* ortum, Transivit in omnes  
Religio similis parvo post tempore Gentes.

In Papatu ut propemodum sacra omnia, sic & hi Rogationum Dies variis superstitionibus polluti sunt: nam & Deum & Sanctos eadem opera invocant. Supplicamus Deo, scribit Durandus in Rationali Divinorum lib. vi. c. de Rogationibus, per hoc triduum ut à subitanea morte & ab omni  
infr.



DIES PRECVM DIES DOMINICI. 65

infirmirate nos defendat, Rogamus per idem triduum Sanctos, ut Deum pro nobis intercedant. Et post pauca docet, ob quam causam Deus & Sancti invocari tum soleant: Hoc tempore, ait, maxime *bella emergere & fructus terra*, qui adhuc in teneritate vel flore sunt, pluribus modis facile cortumpi solent, ideo hoc tempore sunt litanix ad rogandum Deum, ut talia à nobis avertat, & *ab aeris intemperie & à beluis & ab hostibus* Christiana religionis nos eripiat, implorantes super hoc in genere & in specie Sanctorum patrocinia, & ideo *Rogationes* vocantur. Hæc Durandus, è quibus patet, Dies illos Supplicationum in Dei honorem institutos à Pontificiis ad cultum Sanctorum inflexos fuisse,

XX.

Sicut inter ignes Luna minores: ita inter dies precum *Dies Dominici & Festi*, quibus Sacra Publica tractamus, eminent: Veterum enim Sacra Publica quintuplici exercitio, 1. Psalmodia, 2. Lectiōe. 3. Concione. 4. ORATIONE. 5. Sacra communione constabant. Unde & Apostolus 1. ad Corinth. xiv. v. 14. 23. ubi sacra publica Ecclesiæ Corinthiacæ ordinat, deprecibus in primis statuit, ut qui linguis loquitur, preces publicas interpretetur. Si in unum locum, inquit, tota Ecclesia convenerit, & omnes peregrinis linguis orent; intret autem idiota vel infidelis, nonne dicet vos insanire? Ita ergo antiqui ex Apostolico instituto, quoties ad publica sacra coierunt, preces primo loco tractarunt. Sed diebus Dominicis eos convenisse docet Iustinus h. m. Die, qui *Solis* dicitur, quotquot in oppidis vel ruri degunt, conveniunt — post Concionem omnes *ad preces* surgimus. Præses sacrorum preces & gratias pro virili fundit. Sub finem Apologiæ II. Coimus in coetum, scribit Tertull. ut

I  
Deum

Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. In Apolog. c. iv. Diem eundem à Constantino M. precibus dicatum eleganter Eusebius ita percenset : Idoneum pre-  
 cationi tempus salutarem diem Dominicum constituit —  
 Satellites etiam fidei corporis custodes Regem ipsum, piorum  
 morum Præceptorem sequebantur venerantes diem Do-  
 minicum & preces ab eodem præscriptas persolventes.  
 Hoc idem ut facerent, omnibus persuasit beatus Princeps,  
 quasi huc preces suas retulisset, ut sensim omnes ad Dei cul-  
 tum traduceret. — Cumque hunc salutarem diem, quem  
 Lucis vel *Solis* diem appellamus, milites suos omnes omni  
 studio colere docuisset, his, qui jam fidem erant professi,  
 otium fecit, ut liberè possent Ecclesiam Dei frequentare,  
 quo absque ullo impedimento preces Deo persolverent.  
 Ceteris militibus, qui nondum fideles erant, mandavit, ut  
 dominicis diebus in patentes suburbiorum campos exirent  
 atque ibi eandem precandi formam, dato ab uno aliquo si-  
 gno omnes simul usurparent. Non enim oportere ajebat  
 hastis uti & rerum suarum spem in armis aut corporum vi-  
 ribus ponere, sed Deum, victoriæ auctorem agnoscere,  
 cui oporteret panis in coelum manibus, & altissimè ad Re-  
 gem caelestem sublati animi oculis constitutas preces red-  
 dere, ut illum victoriæ largitorem custodem nobis & adju-  
 torem precibus, impleremus. Formulam vero precandi  
 die Dominico militibus præscripsit mandavitq; ut Roma-  
 na lingua omnes ita precarentur: *Te solum Deum agnoscimus,  
 Te Regem prostitemur, Te adiutorem invocamus, per Te victorias  
 consecuti sumus, per Te hostes superavimus, abs Te presentem fe-  
 licitatem consecuros fatemur & futuram indepturos speramus.  
 Tui omnes supplices sumus, abs Te petimus, ut Constantinum Im-  
 peratorem nostrum, una cum piis ejus liberis quàm diutissimè sal-  
 vum*

um & victorem conserues. Hanc Orationem sanciebat à militibus. Solis dici fieri talesque ab eis voces in diuinis precibus adhiberi. Lib. iv. de Vita Constantini. c. 18. *traugum*

**S**ed de modo transigendi cum precibus dies Dominicos. Apud veteres recepto. S. Augustinus pulchrè monet: Observemus diem Dominicum: fratres, & sanctificemus illum, sicut antiquis præceptum est de Sabbatho, dicente Legislatore: A vespere usque ad vesperam celebrabitis Sabbathata vestra. Videamus, ne otium nostrum vanum sit, sed à vespera diei Sabbathi usque ad vesperam diei Dominicæ sequestrati à rurali opere & ab omni negotio soli Diuino cultui vacemus. Veniat ergo, cuiusque possibile est, ad vespertinam & nocturnam celebrationem & ORET IBI IN CONVENTU ECCLESIAE pro peccatis suis Deum. Qui vero hoc non potest, saltem domi suæ oret, nec Deo solvere vota neget. Hæc de precibus Dominicalibus S. Augustinus Serm. ccl. i. Totius Ecclesiæ de iisdem sententiam Concilium Constantinopolitanum VI. cap. ix. depromit: Diei Dominicæ tanta debet esse obseruantia, ut PRÆTER ORATIONES & missarum solennia & ea, quæ ad vescendum pertineat, nihil aliud fiat. Nam etsi necessitas fuerit navigandi vel itinerandi, licentia tamen eju modi datur ut propterea missæ & ORATIONES non prætermittantur. Conveniendum est Sabbatho die, cum luminaribus cuilibet Christiano ad Ecclesiam, conveniendum est ad vigiliis vel ad officium matutinum. Concurrentium etiam est cum oblationibus ad missarum solennia, & dum ad Ecclesiam venit, nulla causa dici debet vel audiri, nulla iurgia sunt habenda, sed tantum modo vacandum est ORATIONI & celebrationi eleemosynarum



rum & in Dei laudibus cum amicis spiritualiter epulandum. Ita Synodus OEcumenica VI. Nec aliter Gregorius Magnus: Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omni modo ORATIONIBUS insistendum, ut si quid negligentia per sex dies agitur, per diem resurrectionis PRECIBUS id expietur. Lib. 11. epist. 3.

XXII. **M**orem porro fuisse apud antiquos in sacris publicis Meo cum primis tempore orandi, quo Tractor vel Homileta in suggestum ad habendam concionem ascendit, docet Basilius Magnus, qui sub initium Concionis auditores ira exhoratur: Precibus eorum, qui Dominum diligunt, mihi jam opus est, ut optimi Dei & Christi ipsius gratia, Sacer & bonus Spiritus nos admoneat & doceat. In exhortat. ad Baptesm. S. Augustinus l. iv. de Doctr. Christ. quem haud injuria *Rhetoricam Ecclesi.* dixeris, c. xv. Oratori sacro preces maximè commendat h. m. Pietate magis Orationum, quàm Oratorum facultate se juvari ne dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, *sit Orator, antequam doctor.* Ipsa hora jam ut dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum se levat animam sitientem ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat. Ita ille. Alii hunc orandi morem in initio Concionum ab ethnicis derivant, apud quos Poetæ in initio carminum Deos communiter invocant. Sic Virgilius in *Georgicis* exorsus deos deasque adorat, quibus frugum, pecorum, arborum cura erat concredita. Ovidius in initio *Metamorphoseon*, *Dij captis*, exclamat, *aspirate meis.* Homerus *Iliada* inchoat: *Iam pande mihi Pelida Diva.* A Poetis gentiliū ad Poetas Christianos eadem Religio transit. Hinc Prudentius in *Psychomachia* sic auspicatur: Chri-

Christe, graves hominum semper miserate labores,  
 Disere, Rex noster, quo milite pellere culpas  
 Mens armata queat de nostri pectoris antro.  
 Et iterum cum S. Vincentii martyrium catmine vult com-  
 plecti, preces ad eundem præmittit in De Coronis:  
 Beatè martyr (inquit) prospera  
 Diem Triumphalem tuum.

Atque hinc motem orandi in initio, in medio, in fine  
 Concionum, quem *Doxologia* plerumque constituit, ad O-  
 ratores ecclesiasticos pervenisse, Erasmus in Methodo sua  
 Concionandi existimat. Sed sanctius est ab apostolico æ-  
 vo piam hanc consuetudinem accessere, cum in ipsis SS. li-  
 teris vestigia hujus præsci ritus extant. Sic Act. 1 v. 24. Apo-  
 stoli evangelium de Christo docturi, unâ cum Collecta  
 fidelium voces ad Deum concorditer levant & hanc præ-  
 cem formant: DOMINE, DA SERVIS TVIS, VT CVM  
 OMNI LIBERTATE VERBUM TVVM LOQVAN-  
 TVR. Finita præce omnes Spiritu S. repleti *πλήρεις*  
 Verbum Dei loquuti sunt. S. Paulo solenne est cura  
 sum evangelii Deo precibus committere. Apostolos igitur  
 auctores secuti Oratores sacri à precibus Conciones su-  
 as exorsi sunt, quid? in media sæpe concione, si quid diffi-  
 cile occurreret, ad preces dilabebantur, quod vel unius S.  
 Chrysostomi Homilias legenti palam fiet. Sed nos alibi  
 eum de Concionibus Veterum agemus, pluribus id dedu-  
 cemus.

XXIII.

ORarunt in sacris ea quàm maxime hora, quum Eucha-  
 ristia confici & distribui debuit. Hinc & plerique ve-  
 terum, *πρὸς δεῖπνον*, *ἐν τρώγῃς*, *πρωτοῦ χάριτος*, *εὐχαριστίας* depreca-  
 tiones, orationes, observationes, gratiarum actiones,



quas Apostolus pro omnibus hominibus, pro Regibus &c. in eminentia constitutis fieri jubet *1ad Timoth. ii. vers. 2.* de precibus in Eucharistia fieri solitis exponunt, S. Augustinus: Eligo, inquit, in his verbis intelligere hoc, quod omnis vel pæne omnis frequentat Ecclesia, ut precatiões accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum. *Epist. LIV. ad Quæst. v.* Intelligit autem per *τὰς δεήσεις*, preces publicas, quæ sunt coram symbolis sacris in altari expositis, sed nondum benedictis. Per *τὰς προσηυχὰς* preces, quibus id, quod est in Altari, vulgari usu eximitur benedicitur, consecratur. Per *τὰς ἐπισηχὰς* preces, quibus in horrendis illis mysteriis sacerdos populo adstanti benedicit, eumque Deo commendat. Tandem *Gratiarum actio* est, cum qua Synaxis solvitur. Certe semper fuit in Ecclesia tempore sumendæ Eucharistiæ ingens precum apparatus. Tempore illo, scribit S. Chrysostomus, non solum homines clamorem horribilem reddunt, sed & Angeli Domino genua flectunt & Archangeli orant. Habent tempus sibi idoneum, habent sacram illam oblationem in favore — quasi dicant: Pro his rogamus, Domine, quos Tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires, pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem &c. *Homil. iv. de Dei natura.* Ita sub horam S. Synaxeos Angelos cum hominibus junctim orare, aurei oris Doctor censet. Sed Precibus veterum, Hymnis, Secretis, Collectis, Præfationibus, Benedictionibus, Votis, Salutationibus alijsque orandi formulis in Eucharistia libelli omnes rituales vel de divinis officiis scripti pleni sunt.

XXIV.

**S**alvatore, cujus actio nostra est institutio, non interdium tantum, sed & *nocturno* Matth. xiv. v. 23. legimus, ubi

ubi populo dimisso, circa vesperam solus in montem orandi causa ascendit, ibique nocturnis precibus usque ad IV vigiliam noctis, qua super mare ad discipulos perrexit, immoratus est. Ajunt, noctem apud veteres in *quatuor vigiliis* (*Quatuor Græci vocant*) divisam fuisse, quarum singulæ tribus horis constiterint. Has vigilias ad orandi tempora simili ab *excubiis militum* ducto Salvator accommodat. Vigilate, inquit, & orate. Nescitis enim, quando tempus sit. Et iterum: Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus domus venerit, *vesperi an media nocte, an cum gallicantio, an mane?* Marc. xiv. vers. 33. In libris Ecclesiasticis Vet. Test. Tobias junior & Sara novi sponsi commendantur, quod *primas tres noctes* orationibus impenderint. Tob. iix. v. 4. ubi sponsus ab angelo edoctus sic fatur: Surge Sara, ut Deum hodie, cras & perendie deprecemur, quia his *tribus noctibus* Deo jungemur: tertia autem nocte transacta in nostro erimus conjugio. Apostolus viduis *nocturnas* præsertim *preces* una cum diurnis commendat: Quæ vere vidua est, ait, & desolata, hæc sperat in Deo, & instat obsecrationibus & orationibus *de nocte ac die.* ad Timoth. v. vers. eodem. Talis vidua erat Hanna octogenaria, quæ *per noctem* æque ac diem à precibus in Templo avelli non poterat. Luc. II. v. 37.

XXV.

**H**orum exemplo veteres Christiani inducti nocturnas preces itidem frequentarunt. De S. Polycarpo ex Epist. Smyrensiùm ad Parochias in Ponto Eusebius refert, quod eum in rus, precibus amicorum inductus aufugerat, *noctes atque dies* nihil aliud, quam preces fecerit, quibus pro pace omnibus per orbem Ecclesiis impetranda suppliciter oraverit, ideo quod *mos hic illi perpetuus* fuisset. lib. iv. Historiæ Eccles. c. 15. Clemens Alexandrinus in Pædagogia cap. 1 x. Sæpe,

Sæpe, inquit, etiam noctu è lecto surgendum est, Deusque est laudandus: Beati enim, qui in ipsum vigilantes ipsos assimilantes Angelis, quos nos *εγρηγότες* h. e. *vigilantes*, quod semper Dei laudibus invigilent, appellamus, Tribus præsertim vicibus veteres ad nocturnas preces surgere solitos, I. sub crepusculum incunte nocte II. media nocte, III. nocte exeunte refert Basilus Magnus, Pater monachorum Græciæ, cum ita statuit: Completo jam die pro iis omnibus, quæ in eo nobis data fuerunt, gratulatio succedet, eorumque quæ vel prudenter vel imprudenter neglecta sunt confessio, ac sicubi latens aliquod delictum admissum fuerit, verbis vel operibus, vel corde, pro his omnibus oratione adhibita veniam à Deo comprecabimur, siquidem ad similia peccata vitanda valde utilis est præteritorum recordatio. Idcirco David dicit: Quæcunque dicitis in cordibus vestris, de his in cubilibus vestris conpungimini Tum autem primis se jam noctis ingerentibus tenebris sequetur petitio, ut quies, quam sumus capturi, ab omni perturbatione & vitio libera sit. Qua hora etiam necessarium Psal. xc, recitari debet. Porro de tempore dimidiæ noctis, quod ad orationem necessarium sit, traditum est nobis à Paulo & Sila in Actis. Scriptum enim est: Circa mediam noctem Paulus & Silas Deum laudabant, Atque hoc quidem etiam auctor psalmodum considerat dicens: *Media nocte surrexi ad confitendum Domino. Postea anteverendum Diluculum est, & ad orationem surgendum, cavendumque, ne dies nos in lectulo dormientes opprimat, & ille imitandus, qui dixit: Prævenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer eloquia tua. Ita Nocturnas Preces Basilus Magnus in Constit. Monast. Reg. xxxvii. distribuit, è quibus videre est stata orandi tempora olim fuisse noctis primordia,*



dia, noctem mediam & auroram. Eadem hæc S. Hieron. epist. iix ad Demetriad. post diurna precum tempora commemorat: *Ad vesperam, inquit, media nocte & mane exercendum est.*

XXVI.

Cassianus professus se de nocturno orandi modo, de quo libellum condidit, *Aniquissimam Patrum constitutionem*, quæ per rotam Ægyptum à Dei famulis custodiatur, proferre, inter alia monet, ut qui ad preces excitat, prædefinitas noctis horas observet: Non passim, inquit, ut libitum est, nec prout nocte fuerit expergefactus, aut opportunitas proprii somni vel insomnij eum coarctat, fratres etiam ad quotidianas vigilias excitare præsumat, sed quamvis eum consuetudo diurna evigilare hora solita compellat, tamen sollicitè & frequenter ex *stellarum cursu* (unde patet *horologia* ipsis defuisse) præstitutum congregationis tempus exploret, & sic ad orationum officia eos invitet, ne in alterutro incautus inveniatur, si vel oppressus somno statutam noctis horam transgrediatur, vel ad eandem dormiturus atque festinus ad somnum anticipet, nec tam officio spiritali vel quieti omnium deservisse, quam suæ quieti satisfecisse credatur. Hæc Cassianus, unde constat, quam sanctè nocturnas orandi horas veteres attenderint. De iisdem Cassiodorus in Prologo psalmorum: Psalmi sunt, inquit, qui nobis gratas faciunt esse vigilias, quando *silenti nocte*, psallentibus choris humana vox prorumpit in musicam verbisque ante modulatis ad illum redire facit, à quo pro salute humani generis divinum venit eloquium. Agnoscimus ex hoc dicto preces cum psalmis noctu fuisse decantatas. In Vita S. Germani de S. Benedicto, Abbate Casinensi & Patre monachorum Occidentis refertur, quod

K

media



media nocte ad orandum surrexerit, & cum de fenestra prospexit, animam S. Germani luce clarissima cinctam ad coelos delatam inter nocturnas illas preces viderit, auctore Gregorio lib. II. c. 35. De Clotatio Regè Gregorius Turo-nensis scribit, quod *intempesta nocte* orandi causa in Tem-plum S. Martini abierit. lib. VI. historiae c. 9.

## XXVII.

**A** Nocturnis officijs preces, quas antiqui *Lucernariae* vo-carunt, oriundæ sunt, juxta ac *Psalmi Lucernales*. Ori-ginem *Lucernariae* precis sibi ignotam fatetur Basilius Ma-gnus: Quinam fuerit Pater illorum verborum *Lucernariae gratiarum actionis*, dicere non possumus. Populus tamen antiquam edidit vocem. Ad Amphilocho, de Spiritu S. cap. xxix. Videtur autem S. Basilius non de ipsis precibus *Lucernariis*, sed de formulis orandi, quæ ad *Lucernas* appositas recitari olim solebant, loqui. Alias uti *Cæ-tus Antelucani*, sic & *Lucernariae preces* sub horrendis Eccle-siæ persecutionibus per prima secula ex necessitate quapi-am coepisse videntur. Nam ex Ecclesiæ illorum temporum historia jam supra ostendimus, publica & diurna sacrorum exercitia fidelibus non fuisse. Suas igitur Synaxes uti locis occultis, sic & in tenebris agere coacti sunt, de quibus nocturnis sacris calumniam obortam Minutius Felix docet, qui Cæcilium de Christianis ita loquentem inducit: Alij eos ferunt ipsius Antistitis ac Sacerdotis genitalia adorare & quasi Parentis sui venerari naturam. Nescio an falsa, certe occultis & nocturnis sacris apposita suspicio Pau-lo ante idem dixerat, Christianos nocturnis *federationibus* congregari. In nocturnis illis sacris (sacrorum veluti ani-ma Preces sunt) necessitas accendendi lumina, cereos, can-deelas, lucernas volentibus precari imposta est. Sic & Ter-tullia;

tullianus, cum Agapas Veterum recenſet inter alias poſt a-  
quam manuaſem *lumina* illata ſcribit, ad quaſ lectio ex Sa-  
eris habita eſt & hymnus decantatus; ita quoque omnes ſa-  
turatos ſcribit, ut qui meminiffent etiam *per noctem adoran-*  
*dum Deum* ſibi eſſe. In Apolog. c. xxxix. Philo quoque Ju-  
daus in libello quem de *Vita Contemplativa Supplicum* edi-  
dit (per quos alij primos Alexandriae Chriſtianos intelli-  
gunt) auctor eſt primitivam apud Alexandrino Eccleſiam  
inter alia hymnos quoque ante Galli cantus Lucanos cele-  
braſſe, ut habent verba Walaftridi Strabonis l. de Rebus  
Eccl. cap. 25. de horis canonicis. Sic & Plinius licet ethni-  
cus, antelucanas preces ex inquisitione ſibi compertas in  
epiſt. ad Trajanum Caſarem commemorat. Affirmabant,  
ait, hanc fuiſſe ſuae culpae vel erroris ſummam, quod eſſent  
ſoliti *ſtato die ante lucem convenire, carmenq; Chriſto quaſi Deo*  
*canere &c.* unde vides morem ad lucernas orandi decanta-  
tiſſimum olim in Eccleſia fuiſſe.

## XXIIX.

DE luminibus ad nocturnas preces accenſis alia adhuc  
calumnia prodiit, Chriſtianos poſt Thyeſtea ſua con-  
vivia, lumina per canem funiculo lucernis adſtrictum ex-  
ſtinguere, & exſtinctis luminibus ad OEdipodios concubi-  
tus proſilire Patresque cum filiabus, filios cum matribus,  
frares cum ſororibus nefarie commiſceri, quas atroces  
calumnias ſcriptis Apologeticis Tertullianus, Juſtinus,  
Arnobius, Minutius Felix refutarunt. Tertullianus can-  
delabri & lucernae & canis & offulae, quaſ ad luminum ever-  
ſionem canes irriter, meminit in Apol. cap. ix. Sic & Cae-  
cilius apud Minutium Felicem: Poſt multas epulas, inquit  
ubi convivium caluit, canis, qui candelabro nexus eſt, ja-  
ctu offulae ultra ſpaciũ lineae, qua vinculus eſt, ad impe-  
rum

tum & saltum provocatur; sic extincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus infanda cupiditatis involvunt per incertum fortis. Justinus in dial. cum Tryphone Judæo: **An vos etiam de nobis creditis, homines nos vorare, & post epulum lucernis extinctis nefarie promiscuo concubitu misceri.** Hæc ita ex SS. Antiquitatibus producta volumus, ut constet optimè instituta sæpe pessimè exponi & in calumnias rapi. Pater porro ex dictis veteres noctu ad preces convenire solitos, ad accensas lucernas, à quibus *preces Lucernariae & hymni antelucani* dicti sunt, orasse. A moto persecutionis metu, ut multa alia, sic & mos orandi per noctem vel ad lumina, h. e. usus *nocturnarum & Lucernariarum precum* diu in Ecclesia permanfit, noctibus in certas orandi horas divisus, ut jamjam diximus.

## XXIX.

**C**um primis in *Vigiliis* vel noctibus majorum Fæstorum prævijs preces & jejunia & hymnos agere & hoc modo ad imminens festum sese præparare solebant: Meminit precum in *Vigiliis Pentecostes* S. Ambrosius: *Vigilavimus, ait, Oratibus pernoctanter institimus.* Serm. in Psal. cix. Nec aliter Cassianus morem sui sæculi describit: Omnes *Vigiliarum* horas tota nocte in oratione consumimus, sed hyemali tempore: quo noctes sunt longiores, usq; ad quartum gallorum cantum. lib. III. de instit. Coenobior. cap. 8. In *Vigiliis* præsertim *Paschalibus* ad preces attentissime vigilare solebant, nec ulla nox toto anno religiosior habita est. *Quis solennibus Pascha pernoctantem uxorem ferare* scribit Antiquissimus Latinorum Patrum Tertull. lib. II. ad uxorem; quin & Gregorius Nazianzenus totam illam noctem precibus insumtam, luminibus ubique accensis, refert *Oratione in Pascha.* De *Constantino Magno* auctor est Eusebius,

sebius, quod licet quotidie statis temporibus intra secretas  
regiæ suæ partes se coneluserit, solus cum solo Deo sit locu-  
tus & supplici voce in genua projectus, humili vultu deje-  
ctisque oculis à Deo petierit, ut quibus egeret rebus, per il-  
lum consequeretur; religiosum tamen hoc exercitium  
tempore Paschæ mirifice auxit, nocturnum quoque in illo  
festo pervigilium tam clarum reddidit, quam diurnam lu-  
cem, accensis tota urbe celissimis cereis ut *mystica illa per-  
noctatio* (*ad preces, ad hymnos, ad SS. lectiones*) longè elarior  
ipfa Solis luce fieret. *Ad hunc modum Deo ille suo quasi sacer-  
dos sacra faciebat.* lib. iv. de vita Constantini cap. 21. 22. Hie-  
rosolymis eundem morem orandi in Vigilijs fuisse historia  
Narcissi Episcopi Hierosol. docet: Nam cum oleum ali-  
quando in Vigilijs Paschæ, conservandis luminibus Eccle-  
siæ deesset, S. Narcissus aquam lucernis infundi iussit & su-  
per eandem oravit, ad quas Narcissi preces aqua vices olei  
subiens usum nocturni luminis præbuit, teste Eusebio l. vi.  
histor. Eccles. c. 8. Ita ergo magnorum festorum Vigiliæ  
precibus olim nocturnis fuerunt transactæ.

## XXX.

**S**UPER est, ut inter orandi tempora HORAS CANONI-  
CAS, quarum apud antiquos mentio est creberrima,  
paulo prescius expendamus. Dictæ autem sunt *Hora Ca-  
nonica* publicæ ac statæ preces certis horis juxta *canones* ec-  
clesiasticos (à quibus *Canonica* dicuntur) peragi solitæ. Tres  
præsertim ut antiquiores, ita celebriores invenio, *Tertiam,*  
*Sextam & Nonam.* Meminit earundem Tertullianus, sed  
jam Montani ista factus in libello contra Psychicos (quo no-  
mine Catholicos infamat) cap. x. ubi docet salva indiffe-  
rentia semper & ubique orandi, tres istas horas ut in-  
signiores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ

negotia distinguunt, quæ publice resonant, ita etiam so-  
lenniores fuisse in Orationibus divinis, quod & Dani-  
elis argumentum suadeat ter in die orantis, utique per a-  
liarum horarum exceptionem. Hæc Afer ille. Similiter  
Clemens Alexandrinus lib. ultimo Stromatum, ubi mul-  
ta de Precibus disserit, tandem: Is, ait, qui cognitione  
præditus est, per totam orat vitam, etiam si nonnulli cer-  
tas & definitas horas orationi constituent, *Tertiam, Sextam,*  
*Nonam* applicantes eam ad mysterium *Trinitatis*. Notanter  
dicit, nonnullis fuisse certas orandi horas, ut videas ritum  
œcumenicum vel toto orbe Christiano receptum orandi ad  
easdem horas ea ætate (vixit autem Clemens A. Ch. cciv)  
non fuisse.

## XXXI.

**C**irca III, seculi medium S. Cyprianus plures orandi  
horas observatas docet, in De Oratione Dominica.  
In Orationibus, inquit, celebrandis invenimus tres pueros  
cum Daniele, tres pueros in fide fortes, & in captivitate  
victores Horam *Tertiam, Sextam & Nonam* Sacramento sci-  
licet *Trinitatis*, quæ in novissimis temporibus manifestari  
debebat, observasse. Nam & prima hora in *Tertiam* veni-  
ense consummatum numerum *Trinitatis* ostendit; itemque  
*Quarta* ad *Sextam* procedens declarat alteram (iterum)  
*Trinitatem*; & quando *Nona* à *Septima* completur, per  
ternas horas *Trinitas* perfecta numeratur. Hæc horarum  
spacia jam pridem spiritualiter determinantes adoratores  
Dei statis & legitimis ad precem temporibus servabant, &  
manifestata postea res est sacramenta olim fuisse, quod an-  
te sic iusti precabantur: Nam hora *Tertia* super discipulos  
descendit Spiritus S. qui gratiam *Dominicæ* passionis im-  
plevit. Item *Petrus* hora *Sexta* in *Tectum* superius ascendens,  
signo

signo pariter & voce monentis instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emendandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora Sexta crucifixus ad Nonam peccata nostra suo sanguine abluit & ut redimere ac vivificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis Fratres dilectissimi, præter horas antiquitus observatas *orandi nunc & spacia & Sacramenta creverunt.* Nam & mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus S. in Psalm. designabat, dicens: Rex meus & Deus meus, quoniam ad Te orabo, Domine. *Mane* assistam Tibi & contemplantor Te. Et iterum per Prophetam loquitur Dominus: *Diluculo* vigila- bunt ad me, dicentes: Eamus & revertamur ad Dominum Deum nostrum. Recedente item sole ac die cessante, necessario rursus orandum est: nam quia Christus Sol verus & dies verus est, sole à die seculi recedente, quando oramus & petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, Lucis æternæ gratiam præbiturum. Hæc paulo pluribus ex Cypriano.

XXXII.

**P**Atet ex illis tres horas Canonicas in honorem SS. Trinitatis jam ante Cyprianum ab Ecclesia conditas harumque observantiam veluti tacitam professionem fidei de eodem mysterio fuisse. Hinc ternario numero hæc preces horariæ omnes conclusæ sunt. Notandum 2. est ex verbis Cypriani, Veteres ternarium illum numerum divina auctoritate firmasse, testimoniis ex utroque testamento conquisitis. Ex Ver. Testam. Danielis exemplum præstet, qui quondie apertis fenestribus *temporibus* adorasse legitur. Daniel. vi. v. 10. Ex Novo Testam. tres easdem orandi horas variis memorabilibus per easdem horas factis

com-

commendarunt; horam Tertiam ex eo, quod in illa Spiritus S. super Apostolos descendisset: horam Sextam ex eo, quod in illa Petrus de vocatione gentium ad Ecclesiam esset edoctus. Horam Nonam idem, quod in illa Salvator ad crucem fixus obiisset, & nobili servandorum mortalium provincia defunctus esset. Notandum est tertio, ex iisdem Cypriani verbis ternarium illum horarum numerum precibus *matutinis & vespertinis* auctum, adeoque tempore S. Cypriani non tres tantum, sed quinque orandi horas fuisse, quarum hæc duæ specialiter *in honorem Christi*, qui *lux est & dies, noctis tenebras detegit, lucisq. lumen creditur, lumen beatum prædicans*, serius accesserunt idem, ut *hunc mane laudum carmine, hunc deprecemur vesperi*, prout hymni vetusti sonant. Juvat interserere de Precibus Matutinis & Vespertinis ad Horas Canonicas appositis monitum Ludovici de Granata: Memento sapissimè, scribit ille, commendari in Lege duo Sacrificia quotidiana, *matutinum & vespertinum*, quæ etiam omnis Christianus debet spiritualiter offerre, iis temporibus ab externis occupationibus sese abstrahens, ut vacet internis & divinis: Quemadmodum enim bis vacamus in die corporis refectio, in prandio scilicet atque in cæna, sic etiam bis ad minimum animæ refectio vacandum est, cum hæc non minoris, imò multo majoris sit dignitatis, quam corpus, nec minus ei suus cibus sit necessarius, quam corpori suus. Orationi matutinæ multum proderit, si homo antequam sese ad somnum componat, aliquamdiu oraverit. Manè namque inveniet in corde suo fructum ejus sementis, quam vesperi fecerat. Quemadmodum enim is, qui vesperi carbones cineribus tegit, ut ignis mane in promptu sit: ita mane facile adfectum, orandi invenit qui vesperi cum oratione aut pia cogitatione in-



ne in dormit. Hæc eleganter Granatensis lib. II. de Orat. & medit. cap. 9. & 14.

## XXXIII.

**S**ed nec quinaris ille numerus veterum devotioni ex-  
splendæ sufficere potuit: nam seculo quarto preces no-  
cturnæ horis canonicis appositæ easdem adauxerunt. Iu-  
vat in eam rem proferre S. Athanasium: *Oriens Sol*, inquit il-  
le, videat librum in manibus tuis. Post *Tertiam* Synaxes  
conficies, quia ea hora defixum est lignum Crucis. *Hora*  
*Sexta* de preces cum psalmis, ploratu & supplicationi-  
bus absolves, quoniam hac hora Filius Dei in cruce pependit.  
*Hora Nonæ* rursus in Hymnis & glorificationibus eris,  
cum lacrymis & confessione peccatorum tuorum Deo sup-  
plicabis, quoniam hac hora Dominus in cruce pendens  
spiritum emisit. Et post Synaxin horæ Nonæ comede pa-  
nam tuam. — Si ingressus fueris in Templum *Hora XII.* lon-  
giorem & maiorem Synaxin facies, cum Virginibus tecum  
concordibus. Si nullam habeas concordem, sola Synaxin  
absolves, Deo presente & audiente. Bonum autem est  
lacrymas effundere coram Domino, memoremque esse  
horæ XII, quia in illa Dominus ad inferos descendit. Paulo  
post hæc addit; *Media quoque nocte* excitaberis & hymnis  
celebrabis Dominum Deum tuum: Ea enim hora Domi-  
nus à mortuis surrexit, & Patrem suum hymnis celebra-  
vit, atque ideo nobis injunxit, ut eadem hora hymnos  
Deo diceremus. *Cum primum surgis*, hunc versum recita:  
*Media nocte surgebam ad confitendum Tibi super judicijs*  
*Iustitiæ Tuæ; & precare, & incipe recitare Psalm. 1. Misere-*  
*re mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam &c.*  
donec absolvas. Et hæc tibi certa sint pensa per singulos  
dies, & psalmos dices, quot poteris, & ad quemlibet psal-

L

mum

num preces & genuflexiones addantur, pronunciando Domino peccata tua & orando, ut tibi remittantur. — Cæterum *matutino tempore* hunc psalmum dicit: Deus, Deus meus ad Te de luce vigilo. Hæc S. Athanasius Tom. iii. operam suorum in De Virginitate vel de Meditat. Vnde videmus has orandi horas fuisse: Mane, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Duodecimam & mediam Noctem.

## XXXIV.

**A**Vdri quoque dignus est de iisdem Precibus horarijs Basilii Magnus, qui in Regulis suis monasticis ita statuit: Cum ad Orationem nulla non pars vitæ oportuna habenda sit, quia tamen datis quibusdam intervallis ab illa psalmodiæ & genuflexionis acri contentione nonnunquam est interquiescendum, is maxime est horarum modus tenendus, qui à veteribus olim sanctis viris ad orationem præscriptus est. Etenim David ait: *Media nocte surgebam ad confitendum Tibi.* Quem sane Paulus & Silas secuti repertiuntur, cum in carcere positi circa mediam noctem ambo Deum collaudarunt. Addit deinde idem Prophetæ: *Vespere, mane & meridie.* Quin & Spiritus S. circa *horam Tertiam* diei datus fuit, sicut ex Actis accepimus, quò tempore cum propter variam illam linguarum vim Pharisæi discipulis irriderent, negavit Petrus illos ebrios esse, quia ea loquerentur; siquidem hora illa diei Tertia esset. Porro *Nona* Dominicæ passionis memoriam refert, illius, quæ vitæ nostræ causa suscepta est. Verùm quoniam idem *septies*, ait, in die laudem dixi Tibi propter iudicia iustitiæ tuæ; tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam septenarium numerum conficiunt, bipartito dividenda meridiana oratio est, ita videlicet, ut pars una cibum precedat, altera subsequatur, quo perpetua hæc nobis sit formula Deum se-

um septies per singulas dierum conversiones laudibus celebrandi. Hæc ex Basilio, qui in dicto illo Davidico *septies* in die Deum laudantis, septenariam in horis Canonicis numerum fundat. Idem facit Pater Monachorum Occidentis S. Benedictus in Regula Cap. xv i. ubi sic statuit: Ut ait Propheta, *Septies* in die laudem dixi Tibi, qui septenarius sacratu numerus à nobis sic implebitur; si *Matutina, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completoria* que tempore nostræ servitutis officia persolvamus, quia de his *horis diurnis* dixit Propheta: *Septies* in die laudem dixi tibi. Nam de *nocturnis* Vigilijs idem ipse Propheta ait: *Media nocte* surgebam ad confitendum Tibi. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super iudicia Iustitiæ suæ i. e. *Matutinis, Prima, Tertia, Sexta Nona, Vespera, Completoria*. Sed *noctē* surgamus ad confitendum ei. Quot psalmi, quot preces, quæ lectiones & quo ritu absolvi iisdem horis debeant, in eisdem S. Benedicti Regula, si placet, vide.

XXXV.

**I**Nvenias tamen alios è Patribus Ecclesiæ, qui nunc plures, nunc pauciores horas Canonicas numerant. Basilius ipse alicubi octavam videtur addere. Pauciores S. Hieronymus ad Eustochium Virginem commemorat h. m. Quanquam Apostolus orare nos semper jubeat & Sanctis ipse somnus sit oratio, tamen divisas orandi horas habere debemus, ut si forte aliquo opere fuerimus detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam Tertiam, Sextam, Nonam, Diluculum, & Vesperam nemo est, qui nesciat; de quibus horis etiam in commentarijs Danielis dicitur: Tria sunt tempora, quibus Deo flexenda sunt genua, ubi horam Tertiam, Sextam & Nonam ecclesiastica traditio intelligit. Hora Tertia Sp. Sanctus super Aposto-

L 2

los



los descendit. Sexta volens Petrus comedere ad orationem ascendit in coenaculum Act. x. Nona Iohannes & Petrus pergebant ad Templum Act. iii. Hæc S. Hieronymus, qui alibi tres, alibi quinque horas canonicas exprimit. S. Augustinus vel quisquis auctor sit Serm. lv. Ad Vigiliis, ait, maturius surgite, ad Tertiam, ad Sextam ad Nonam omnes convenite, nemo se subtrahat à tam sancto opere, nisi quem infirmitas excusat, aut publica utilitas, aut grandis forte necessitas. Hoc loco nec Augustinus ad septenarium numerum horas Canonicas adstringit. Sex Horas orandi Auctor Constit. Apost. opido antiquus, licet nec Apostolorum nec Clementis Romani ætatem attingat exhibet, cum lib. iix. c. 40. de Horis precum hæc refert: Preces vestras facite Diluculo, hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere & in galli cantu. Diluculo gratias agite, quoniam illuminavit nos Dominus expulsa nocte & inducto die, Tertia hora, quoniam illa hora Dominus sententiam Pilati accepit; Sexta, quoniam tunc crucifixus est; Nona, quoniam omnia commota sunt crucifixo Domino, per horrentiam impiorum audaciam & non ferentiam ignominiam Domini; Vespere gratias agite, quod dedit nobis noctem diurnorum laborum requiem. In gallicinio, quoniam illo tempore nunciatur adventus diei ad exercenda opera lucis. Hæc veterum in enarrandis horis Canonicis diversitas in victo argumento est, divini instituti eandem non esse.

## XXXVI.

**S**ed nec in hac materia nobis prætereundus est Cassianus, S. Chrysofomi olim Diaconus & postea presbyter Massiliensis, qui de horis Canonicis libellos inter instituta cœnobiolorum retulit, ubi de earundem origine scri-

ne scribit, hunc morem statis horis orandi ab antiquis constitutum, per tot secula penes cuncta monasteria Ægypti & Thebaldos in corruptum ad sua usque tempora traductum, idque inde esse, quod hæc orandi tempora non humana ad inventionem statuta à senioribus affirmantur, sed cælitus ANGELORVM MAGISTERIO Patribus delata dicantur. lib. ii. c. 4. Forte Cassian. ad commentum ab Adone in Martyrolog. ad ix. Ianuarij recensitum alludit, nempe circa Reliquias Sanctorum angelicam aliquando psalmodiã mane & vesperti horisque Tertia, Sexta & Nona, exauditam fuisse, sed hujus fides penes autorem esto. De ipsis horis Canonicis mentem & mores sui seculi Cassianus ita edisserit: In Palaestina, inquit, vel Mesopotamiæ monasterijs ac totius Orientis solennitas horarum, quas supra dixi (dixerat autem Tertiam, Sextam & Nonam) trinis psalmis quotidie finitur, ut & orationum assiduitas statutis temporibus Deo offeratur — quia his tribus temporibus etiam Danielem Prophetam preces quotidie fudisse cognovimus. Nec immerito hæc tempora religiosis officijs deputata sunt. In his liquidem perfectio promissionum & SVMMA NOSTRAE SALVTIS adimpleta est. Hora enim Tertia repromissus olim per Prophetas Spiritus S. super Apostolos in orationum officio constitutos descendisse primitus comprobatur — Hora autem Sexta immaculata hostia Dominus & Salvator noster oblatus est Patri, crucemque pro totius mundi salute conscendens humani generis peccata diluit, — Eadem quoque hora Petro in excessu mentis Vocatio omnium gentium per submissionem vasis Evangelici cælo delati revelatur — Hora vero Nona infernum penetrans inextricabiles tartari tenebras coruscatione sui splendoris exstinxit, portasque ejus æneas confringens ac seras ferreas



conterens captivatem Sanctorum, quæ clausa tenebatur, salubriter captam secum ad coelos transvexit. — Eadem quoque hora Cornelius centurio in precibus solita devotione persistens memoriam orationum & elemosynarum suarum ante Deum factam ab Angelo sibi colloquente cognoscit, eique hora Nona vocationis gentium sacramenta panduntur. Alio quoque loco de eodem tempore in Act. Apost. ita narratur: Petrus & Iohannes ad horam orationis Nonam in Templum ascendebant.

## XXXVII.

**E**X his liquido comprobatur, ut jam porro Cassianum laudiamus, non immerito à sanctis & Apostolicis viris has horas religiosis obsequijs consecratas à nobis observari similiter oportere. De *Vespertinus* autem sacrificijs quid dicendum est, quæ jugiter offerri etiam in lege Mosaica fanciuntur; Holocausta enim matutina & sacrificia vespertina cunctis diebus in templo, figuralibus etiam hostijs indefinenter oblata ex eo probare possumus, quod à Davide canitur: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. — De *Matutina* vero solennitate etiam illud nos instruit, quod in ea quotidie decantari solet: Deus, Deus meus, ad Te de luce vigilo. Et: In matutinis meditabor Te. Et rursus: Præveni in maturitate & clamavi. Et iterum: Prævenere oculi mei ad Te diluculo, ut meditare eloquia tua. In his quoque horis Evangelicus ille Paterfamilias operarios in vineam suam conduxit. Nam & primo mane conduxisse scribitur, quod tempus designat matutinas nostras preces. Dein Tertia, inde Sexta post hæc Nona, ad extremum Undecima, qua *Lucernaris* hora significatur. Videantur apud eundem plura lib. III. Institut. monasticarum de horis Canonicis, precibus diurnis & nocturnis.

nocturnis, de officio matutino & vespertinis vigilijs modoque & ritu orandi in iisdem. Nos hac vice vel tantillum de celebribus illis precum horis & rationibus, quibus ad eas condendas praecepti fuerunt inducti, referte operæ pretium duximus. Exhibentur alias eadem hoc qualicumque carmine:

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis:

*Matutina* ligat Christum, qui crimina purgat.

*Prima* replet sputis. *Causam* dat *Tertia* mortis.

*Sexta* cruci necit. *Latus* ejus *Nona* bipartit.

*Vespera* deponit. *Tumulo Completa* reponit.

XXXIIX.

Sed & hoc, quod notetur, dignum censemus, puriori ævo cum adhuc fidelium orandi fervor intensissim<sup>o</sup> esset, plebem æque ac clericum precēs illas horarias frequentasse. Sed labentibus seculis, ubi ardor ille precum tepuit, munus istud, vel quod tum putabatur, *onus orandi* ad solos ita dictos Religiosos, Clericos & Monachos devolutum est, iisque deliberali victu fuit prospectum, ut horis per sacros canones prædefinitis nomine totius Ecclesiæ Deum deprecarentur, & quod olim à fidelibus omnibus *ter* erat factum, hi ab alijs negotijs exempti quotidie *septies* facerent, dictique sant *Canonici* idèd, quod horas *Canonicas* precibus psalmis, lectionibus sacris transigerent, vel potius à *canone*, quod fixus illis esset vivendi & orandi canon, vel à *canone*, hoc est, ab annona & pensione, quæ talibus clericis ex communi Ecclesiæ massa dari solebat, ut horis canonicis desungerentur. Sed de origine Canonicorum alibi, Franciscus Quignonus, tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis in præfatione Breviarij reformati, quod jussu Pauli III edidit, tres rationes adducit, propter quas

quas antiqui in Clerum horas Canonicas devolverint. Mihi, ait, cogitanti initia veteris instituti, quo sancitum est, ut Clerici sacris vel sacerdotijs praefecti singulis diebus preces horarias, quas *Canonicas* appellamus, perlegant, tres praecipue causae spectatae fuisse videntur, quarum prima est, quod cum coeteri homines suum quisque negotium agant aut in Republica administranda occupati sint, Clericis ex eo vocatis, quod sortis sint Dominicae, quiq; de bonis Ecclesiasticis aluntur, hoc praecipue negotium divinis & humanis legibus est junctum, ut Deum habere propitium in populum sibi commissum ac de se bene merentem modis omnibus enitentur, quod non sacrificijs tantum efficitur, sed & precibus, quae à pio corde proficiuntur — Altera causa est, ut qui populo exemplo debent esse virtutum, assiduis precibus Deum alloquantur & minus opportuni fiant tentari à Diabolo & ut tentator illos inveniat in sacris semper occupatos. — III. Ratio est, ut Religionis Magistri futuri quotidiana lectione sacrarum literarum & Historiae Ecclesiasticae erudiantur, vel ut Paulus loquitur, cum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem complectantur. Citat hæc Marcus Antonius de Dominis lib. VII. de Rep. Eccles. c. 12. §. 97. Tandem circa Preces illas Horarias observabis, quod quemadmodum Vetus Ecclesia easdem *liberè* condidit, frequentavit, & ex eadem libertate ecclesiastica in solos canonicos, hoc est in eos, qui ex canone vel pensione Ecclesiae juxta sacros canones vivebant, transtulit: ita Ecclesiis nostris vitio dari non potest, quod ex ejusdem libertatis plenitudine Horas illas Canonicas abrogaverint, praesertim cum clerici & monachi in officio ita segnes, ut morbus in curabilis videretur, & ipsae horae canonicae plurimis abusibus, superstitionibus, ineptijs essent



essent pollutz. Sed & si ad hominem disputemus, Pontifici utique non habent, quod e arundem defectum nobis obijciant, cum vel ipsorum Canonici non tantum alios pro se Vicarios, qui preces horarias absolvant, substituunt, iisque suas orandi partes commendent, sed easdem quoque à septenario numero ad duo tempora, quibus in æde publica orandi causa conveniunt, ipsimet reduxerint, quod à primævo instituto longè abest.

XXXIX.

**D**Um finem huic capiti imponimus, Preces Campanaria nobis incidunt, quas haud injuria postremo loco ponimus, quod postremis seculis adinventæ sint. Vocamus autem Preces Campanarias, quæ ad quotidianum campanæ pulsam recitari solent. Campanas ita pulsatas nostri vocant *Beth-Gloffen*. Fuit Anno Chr. MCCXXX. Papa Gregorius IX, cui cum Friderico II. varia erant certamina. Hic in illis turbis instituit, ut certis horis dato campanæ signo in Templis Salve Regina caneretur & Beata Virgo ad pulsam campanæ invocaretur, quemadmodum etiam idem ille campanulas vel nolas Missæ primus addidit, ut populus audito illo sono in genua procumberet & hostiam elevatam adoraret, teste Alberto Crantzio lib. IX, c. 10. Postea Iohannes XXII. circa Ann. Christi MCCCXXV. ter quotidie circa vesperam tintinnabula pulsari & à fidelibus Ave Maria orari voluit, auct. Polydoro Virg. lvi. cap. 12. Tandem Anno Ch. MCCCCLVII. Calixtus III. meridianum campanæ pulsam eadem Angelica Salutatione honorandam sanxit. Ridiculum aliquando certamen de primo campanæ pulsû, quo monachi ad preces excitarentur inter fratres mendicantes obortum Nicolaus Boerius recenset, Cum diu,

M

all,



ait, in curia Romana Franciscani & Dominicani concertassent de primo pulsandis marutinis tandem insumtis triginta millibus aureorum lis decisa est, *ut primo surgentes primo pulsarent* in Tract. de auctoritate magni conc. num. 87. Et hæc de precibus Campanariis. Nos sequestratis abusus hæc precum monitoria statis horis in nostris adhuc Ecclesiis retinemus, & tum prodanda vel conservanda pace Deum deprecamur. Sed hætenus varia  
Precum Tempora.

---

## ADDENDA

Ad Cap. I.

**T**H. XIV. sub finem ita lege: Cum Templorum usus invaluit, precum causa ad QVOSVIS Tumulos martyrum ire non placuit: Nam etiam pace Ecclesiis reddita amplissima Tempa in Cæmeteriis verorum Martyrum condita ex S. Antiquitate ostendit Paulus Aringhus in Roma Subterranea Lib. I. cap. II. §. 23. Et de Theodosio, qui post tempora Concilii Laodicensi vixit, auctor est Rufinus, quod ante tumbas martyrum & thecas apostolorum cilicio indutus oraverit. Lib. II, hist. Eccl. c. 33.

Ad Cap. II.

**T**H. IIX. Stata quadam orandi Tempora S. Ambrosius puellis præsertim Deo dicatis præscribit: Crebra Oratio, inquit, nos Deo commendet. Si enim Propheta dicit, Septies in die laudem dixi Tibi, qui Regi erat necessitatibus occupatus quid nos facere debemus, qui legimus: Vigilate & orate, ne intretis in tentatione. Certè solennes

nes Orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum à somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumserimus, & hora incensi, cum denique cubitum pergimus. Sed & in ipso cubili volo psalmos cum Oratione Dominica frequenti vice contexas, vel cum evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget, ut te Divina meditantem somnus inveniat. Lib. III. de Virginibus.

## Ad Th. XI.

**E**legans est Oratio ad Mensam, quæ in Constitut. Clementis, vulgò dictis Apostolicis traditur: Benedictus es, Domine, qui à juventute meâ me pascis; qui das escam omni carni, gaudîo corda nostra reple, ut omnem sufficientiam habeamus & in omni opere bono abundemus in CHRISTO IESU Domino nostro, per quem Tibi Gloria sit in secula. Amen. I. VII. Constit. Cap. ult.

## Ad Th. XII.

**H**istoriam Legionis *ἡς κεραινοβόλης* Ipse Cæsar M. Aurelius in Epist. ad S. P. Q. R. ita refert: Vires meas in angustum redigi cernens, evocavi, qui apud nos dicuntur Christiani & per inquisitionem magnum eorum invenit numerum. — Hi projicientes se in terram non pro metantur, sed pro Exercitu, qui tum aderat, universo, precati sunt, ita ut solatio nobis essent in presenti fame & siti. In quintum enim jam diem aquam, quod defecerat, non ceperamus. — Simul verò atque illi in terram sunt provoluti & Deum precatone invocarunt, confestim aqua de celo est consecuta, ad nos illa quidem frigidissima, in Romanorum verò imminentes hostes grandis ignea. Sed & cum Oratione statim Dei presentia affuit &c. Extat hæc Epistola inter Opera S. Iustini.

**Q**uam necessarios in extremo agone Preces S. Cypriani duxerit, ex ejus Epistola ad Cornelium patet, qua sic ait: Hortamur permutuam charitatem, qua nobis invicem cohæremus, ut (quoniam Providentia Dei monentis instruimur & divinæ misericordiæ consiliis salubribus admonemur, appropinquare jam certaminis & agonis nostri diem) jejniis, vigiliis, orationibus insistere cum omni plebe ne desinamus. Incumbamus gemitibus assiduis & deprecationibus crebris. Hæc enim arma nobis caelestia sunt, quæ fortiter stare & perseverare faciunt. Hæc sunt munimenta spiritalia & divina tela, quæ protegunt. Memores nostri vicem sumus & unanimes utrobique pro nobis semper oremus, ut pressuras & angustias mutua charitate relevemus. Ita

Cyprianus Lib. 1. Epist. 1.

ERRATIS VENIA.

De rectè dictis

SOLI DEO GLORIA.

















Ff 4552




ULB Halle 3  
005 136 318



VD 77

AC








B.I.G.

Farbkarte #13

SACRARVM ANTIQVITATVM  
DE  
**PRECIBVS**  
VETERVM CHRI-  
STIANORVM

907

*LIBELLVS,*  
in quo  
VETERVM ORATORIA  
ET  
STATI ORANDI TEMPORA  
percenſet  
IOACHIMVS HILDEBRANDVS  
S. Theol. D. & in Acad. Iulia Ordin.  
Profeſſ.



HELMESTADI,  
Cura HENNINGI MULLERI, Acad. typ.

MDCCCLV.

